De vocum Graecarum apud poetas Latinos ab Hadriani temporibus usque ad Claudiani aetatem usu.

Dissertatio inauguralis philologica

quam scripsit et amplissimi

philosophorum ordinis consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores
in Universitate litterarum Vratislaviensi

rite capessendos publicavit

Petrus Neumann.

Die 17 mensis Iulii anni MCMXII hora 11½
disseret doctorandus in Aula Leopoldina: De Iliadis libri XVI indole.

Vratislaviae
Typis Officinae Aemilii Winter
1912.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt

R. Foerster et **F. Skutsch.**

Examen rigorosum habitum est die 8 mensis Novembris 1911.

Ricardo Foerster

et

Francisco Skutsch

S.

Conspectus.

pagina

Prooemium . . . . 1—9

Caput I. De nominum Graecorum usu . . . . 10—72

§ 1. De nominativi formis . . . . 10—39

1. De nominativo nominum per —ος vel —ον terminatorum 10—17
2. De nominativo nominum in —ας vel —ης, quorum genetivus in —ου excurrit, exeuntium . . . . . . 17—21
3. De nominativo nominum per —α vel —η terminatorum 21—26
4. De nominativo nominum in —*is*, —*as*, —*s*, vel —*ax*, —*yx*, —*x*, vel —*an*, —*in*, —*en*, vel —*or*, —*er* exeuntium . . . . 26—28
5. De nominativo nominum in —ευς exeuntium . . . 28—30
6. De nominativo nominum per —ων terminatorum . . 30—33
7. De nominativo nominum in —υς exeuntium . . . . 33—34
8. De nominativo neutrius generis per —ος terminato . 34
9. De ceteris tertiae declinationis nominibus . . . . . 34—36
10. De nominativi pluralis formis . . . . 36—39

§ 2. De vocativi formis . . . . 39—41

§ 3. De accusativi formis . . . . 41—62

1. De accusativo nominum in —ος vel —ον exeuntium 41—45
2. De accusativo nominum in —ας vel —ης exeuntium 45—49
3. De accusativo nominum in —α vel —η exeuntium 49—52
4. De accusativo nominum in —*is* exeuntium . . . . 52—54
5. De accusativo nominum in —ας exeuntium 54
6. De accusativo nominum in —*er* exeuntium . . . . 54—55
7. De accusativo nominum in —*or* exeuntium 55
8. De accusativo nominum in —ων exeuntium . . . . 55—56
9. De accusativo nominum in —ευς exeuntium 56
10. De accusativo nominum reliquorum, quae tertiam declinationem sequuntur . . . . 56—59
11. De accusativo nominum in —υς exeuntium . . . . 59—60
12. De accusativo nominum neutrius generis 60
13. De accusativi pluralis formis . . . . 60—62

§ 4. De genetivi formis . . . . 63—70

1. De genetivo nominum secundae declinationis in —ος vel —ον exeuntium 63
2. De genetivo nominum in —ας vel —ης exeuntium . 63
3. De genetivo nominum in —α exeuntium 63

pagina

4. De genetivo nominum in $-\eta$ exeuntium . . . . . 63—65
5. De tertiae declinationis genetivo . . . . 65—69
6. De genetivi pluralis formis . . . . 69—70
§ 5. De dativi formis 70
§ 6. De ablativi formis . . . . 70—71
§ 7. De nominibus quibusdam incertis et heteroclitis . . . 71—72
Caput II. Quibus causis poetae Romani ut terminationes Graecas servarent commoti sint . . . . 73—113
§ 8. De nominibus, quae plane in sermonem Romanorum transierunt . . . . 73—74
§ 9. De adiectivis 74
§ 10. De grammaticis rationibus . . . . 74—76
§ 11. Quantum usus ad servandas vel mutandas Graecas terminationes valuerit . . . . 76—85
1. De nominibus geographicis . . . . 76—79
2. De nominibus gentium 79
3. De nominibus deorum et hominum . . . . 79—82
4. De terminis technicis . . . . 82—85
§ 12. Quantum metricae rationes ad exitus Graecos servandos valuerint . . . . 85—109
1. De difficultatibus, quae saepius poetis imprimis dactylicis occurrunt 85
2. De elisione vitanda . . . . 85—89
3. De nominibus, quae non solum formam, sed etiam quantitatem terminationis mutant . . . . 89—103
4. Conspectus . . . . 103—108
§ 13. De Graecis formis, quarum originem poetae ipsi indicant, iisque quas maiorum exempla imitati receperunt . . . 109—113
1. De formis, quarum originem poetae ipsi indicant . 109—110
2. De locis, quibus poetae e vetustiorum auctorum imitatione Graecas terminationes servant . . . . 110—112
3. De Graeco quodam colore . . . . 112—113
Conclusio . . . . 113—116

In duas partes possumus dividere eos, qui vocibus Graecis, quae a Romanis in sermonem Latinum receptae sint, perscrutandis operam dederunt; sunt enim, qui quid Romani in omnibus vitae partibus Graecis debuerint hoc modo inquisiverint; alii poetas imprimis respicientes quid ex hac re de eorum usu atque genere scribendi, de rebus metricis et grammaticis disci possit indagaverunt. Illorum e numero imprimis afferantur Saalfeld (Tensaurus italograecus 1884) et O. Weise (Die griechischen Wörter im Latein, Lips. 1882), horum satis habeo attulisse quaestiones, quas fecerunt Sniehotta[1]), qui poetas Latinos dactylicos ab Enni usque ad Ovidi tempora pertractavit, et Zwiener[2]), qui hanc quaestionem ad poetas post Ovidi tempora florentes extendit.[3]) Quorum vestigia atque rationes secutus poetas ab Hadriani usque ad Claudi Claudiani tempora perscrutatus sum.

1. Atque in prima parte de materia ipsa egi non aliter atque Sniehotta et Zwiener, in altera autem parte Sniehottae magis disponendi ratio mihi placuit quam Zwieneri, quamquam ne eam quidem ubique secutus sum. Paucis de vocabulis, quae plane in Romanorum sermonem cotidianum transierunt, verbis factis nonnulla de adiectivis primam et secundam declinationem sequentibus ab aliis derivatis dicendum esse ratus causas ipsas quibus poetae commoti aut servarint aut mutarint terminationes Graecas pertractavi. Atque quamquam metricas rationes exemplumque maiorum permultum ad Graecas formas servandas valuisse

[1]) Sniehotta, De vocum Graecarum apud poetas Latinos dactylicos ab Enni usque ad Ovidi tempora usu, Breslauer Philologische Abhandlungen IX 2. 1903.

[2]) C. A. Zwiener, De vocum Graecarum apud poetas Latinos ab Ovidi temporibus usque ad primi post Chr. n. saeculi finem usu, ibid. IX 6 Breslau 1909.

[3]) Nonnullos tantum selectos poetas tractant: A. Thiel, Iuvenalis graecissans sive de vocibus graecis apud Iuvenalem, Vratislaviae MDCCCCV. — H. Leimeister, Die griechischen Deklinationsformen bei den Dichtern Persius, Martialis und Juvenalis, München 1908.

demonstravisse mihi videor, tamen usum volgarem atque grammaticas rationes minime neglegenda esse putavi. Nam, ut unum exemplum proferam, nomina in —η vel —ων *(Libye Rhodope al., Helicon Phlegethon al.)* exeuntia, quae Latine terminata in tribrachyn exirent, nullo modo nisi Graece flexa versui hexametro inseri poterant; sed inveniuntur eiusmodi multa nomina alia, quae etsi Latine terminata optime in dactylicum metrum recipi possint, tamen Graece flectuntur. Qua ex re optime non solum metrum, sed etiam usum poetarum ad servandas vel mutandas Graecas terminationes magni fuisse momenti cognoscas.[1]

2. Pauca de poetis ipsis, quorum opera perscrutatus sum, praemittenda sunt. Aurea poeseos aetas evanuerat Hadrianique saeculum minores tantum poetas protulit, qui carmina varia ludicra scripserunt; multa quidem perierunt, nonnulla casu servata sunt Hadriani[2], Flori[3], Septimi Sereni[4], Apulei[5], Alfi Aviti[6], Mariani[7], Modestini.[8] Iam non tam e propriis fontibus quam ex auctoribus vetustioribus poetae hauserunt; meris nugis fingendis se dederunt, si non rerum pedestrium descriptioni artem poeticam accommodabant poesinque obsoletis auctorum memoriis alebant[9]; atque si iam Augusti temporibus videmus poetas clarissimos non dubitasse ex operibus aliorum poetarum et argumenta et versus integros et vocabula desumere atque imitari, non mirum est quod his temporibus imitandi et describendi studium usque ad ultimum finem, centonem

[1]) Cf. Neue, Formenlehre der lateinischen Sprache, 3. Aufl. von C. Wagener, Leipzig 1902, I 66 et E. Bednara, De sermone dactylicorum Latinorum quaestiones, Archiv f. Lat. Lexikographie u. Grammat. XVI 354.

[2]) Editiones secutus sum Baehrensi PLM IV p. 111 et L. Muelleri et Buecheleri.

[3]) PLM IV 275, 412—419. PRF pag. 373. L. Mueller l. c. pag. 26. Riese AL 245, 252.

[4]) PRF pag. 384; cf. etiam Wagner, quaestt. neotericae, Lips. 1907.

[5]) PRF pag. 376.

[6]) PRF pag. 383.

[7]) PRF pag. 384.

[8]) PLM IV 360.

[9]) Cf. Everat, De D. M. Ausoni operibus et genere dicendi, Lutetiae Parisiorum MDCCCLXXXV, pag. 90.

dico, processit.[1]) Eiusmodi de Medea centonem tragoediae formam imitatus Hosidius Geta[2]) e Vergilio exsuxit[3]), ut Tertulliani verbo utar, eodemque modo C. Sulpicius Apollinaris[4]) argumenta metrica Aeneidos scripsit. Quin etiam res minime poeticas versibus pertractare conati sunt. Scripsit enim Marci Aureli aetate Terentianus Maurus[5]) carmen didacticum de litteris syllabis et metris, Q. Serenus Sammonicus[6]) librum medicinalem. Praeter Vergilium M. Aurelius Nemesianus[7]) Calpurnium et Grattium imitatus est, hunc in cynegeticis, illum in carminibus quattuor bucolicis; praeterea ei tribuuntur versus aliquot de aucupio.[8])

Eidem fere aetati hae quoque reliquiae et fragmenta tribuuntur: Gallieni nonnulli versus[9]), carmen ad Oceanum[10]), Pontica[11]). Lactanti de ave phoenice[12]) carmen,

---

[1]) Speck, Quaestiones Ausonianae, Vrat. MDCCCLXXIV pag. 22.

[2]) PLM IV pag. 219 sq.

[3]) Cf. Tertullian. de praescript. haeret. c. 39.

[4]) PLM IV pag. 169 sq.

[5]) Editionem secutus sum quam fecit Carolus Lachmannus, Berolini MDCCCXXXVI, praeterea contuli editionem principem Mediolani impressam MCCCCXCVII per M. Uldericum Szinzeler, editionem Laurenti Santeni, Traiecti ad Rhenum MDCCCXXV, H. Keil G. L. VI. — Lachmannus (prooem. XI), quem Wentzelius, (Symbolae criticae ad historiam scriptorum rei metricae Latinorum, Vrat. MDCCCLVIII) secutus est, eius aetatem finem saeculi post Christum natum tertii dixerat, sed A. Werthius (De Terentiani sermone et aetate J. J. Suppl. XXIII 290) poetam sub Hadriano natum M. Aurelio regnante scripsisse demonstravit. — [6]) PLM III pag. 103.

[7]) PLM III pag. 175 et H. Schenkl, Calpurni et Nemesiani bucolica, Lips. MDCCCLXXXV. — [8]) Ihm, Rhein. Mus. 52. 455.

[9]) PLM IV 103. — [10]) PLM 165. — [11]) PLM III 172.

[12]) PLM III pag. 253 et S. Brandt, L. Caeli Firmiani Lactanti opera omnia, pars II fasc. I pag. 136 sq. Vindob. MDCCCLXXXXIII. Carmen exstat in compluribus codicibus inter Cl. Claudiani carmina post Phoenicem, quocum multis in rebus congruit, (a Riesio editum est in Ieepii Claudiano II pag. 211 sq.) vel inter poemata christiana, interdum cum inscriptione, qua Lactantio tribuitur, interdum sine inscriptione. Carmen num sit Lactanti opus genuinum necne, multi quaesiverunt. De his rebus cf. Baehrens PLM III 277 sq., qui carmen Lactantio male ascriptum, sed iam a Claudiano respectum esse putat. Pascal, Rendiconti dell' Accad. di Arch. 1904, Napoli 1904, pag. 23 carmen stoico cuidam vindicat non probante C. Weymano W. f. kl. Ph. 1905 N. 7.

Catonis disticha[1]), Pervigilium Veneris[2]), Vespae iudicium coci et pistoris[3]), Reposiani carmen de concubitu Martis et Veneris[4]), Epistula Didonis ad Aeneam[5]), Pentadi carmina[6]), Verba Achillis in parthenone[7]), Tiberiani carmina.[8]) Magna arte scientiaque P. Optatianus Porfyrius[9]) carmina composuit. Avienus[10]) Graecos auctores ita imitatus est, ut illorum scripta e lingua nativa in Latinam transtulisse tantum videatur. Tamen hic „poeta elegans, qui non sine inflammatione animi versus numerose et volubiliter fudit"[11]), non ita multas formas Graecas servat.[12]) Multas res singulas Vergilio debet et Ovidio, argumenta e Graecis auctoribus sumpsit. Ita Arati Phaenomena transtulit[13]), praeterea Descriptione orbis terrarum simile Dionysi opus Latino carmine reddidit[14]), Ora maritima autem „Carthaginiensium scriptorum translatio ad verbum expressa videtur."[15])

---

[1]) PLM III 205 sq. et ed. Némethy, Budapest 1895.

[2]) PLM IV pag. 292; Raquettius (Class. Rev. 1905 pag. 224 sq.) carmen scriptum esse anno 476 a Sidonio Apollinari concludit e versibus 73 sq. Refutavit hanc sententiam J. B. Bury on the perv. Ven. ibid. pag. 304).

[3]) PLM IV pag. 326.

[4]) Ibid. pag. 348. [5]) Ibid. pag. 271.

[6]) Ibid. carm. 343. 344. 422–425.

[7]) Ibid. pag. 322.

[8]) Ibid. III pag. 263 sq.

[9]) Ed. secutus sum L. Muelleri, Lips. MDCCCLXXVII.

[10]) Fr. Marx, Avienus, Pauly-Wissowa, Real-Encyklopädie der klassischen Altertumswissenschaft II, p. 2386 ff. — Editiones secutus sum, quas fecerunt A. Holder, ad Aeni Pontem MDCCCLXXXVII et A. Breysig, Rufi Festi Avieni Aratea, Lips. MDCCCLXXXII.

[11]) I. Schrader, Wernsdorf PLM V, II, pag. 716.

[12]) N. Daigl, Avienus, Studien über seine Sprache, seine Metrik und sein Verhältnis zu Vergil, Erlangen 1903.

[13]) G. Sieg, De Cicerone Germanico Avieno Arati interpretibus, Diss. Hal. MDCCCLXXXVI. Maybaum, De Cicerone etc. . . . Diss. Rostoch. MDCCCLXXIX. P. v. Winterfeld, De Rufi Festi Avieni metaphrasi Arateorum recensenda et emendanda, Berolini 1885; idem Beiträge zur Quellen- und Textkritik der Wetterzeichen Aviens, Berlin 1896.

[14]) Dionysius Periegetes ed. G. Bernhardy, Geogr. graec. min. Lips. MDCCCXXVIII et C. Müller GGM II pag. 177 sqq.

[15]) Everat l. c. p. 86.

D. Magnum Ausonium[1]), etsi elegantia quadam atque doctrina omnibus praestitit aequalibus, tamen fatendum est potius peritum carminum conditorem quam vere poetam fuisse[2]). Atque ipse grammaticus rhetorque esse mavult quam poeta. Et quod de poetis vetustioribus huius aetatis diximus, summo iure etiam ad Ausonium referendum est: sermonis et metri elegantiam quandam affectabant in ieiuno atque inani verborum strepitu[3]) atque undique sua consarcinantes versus memoriis vetustiorum poetarum refertos pangebant.

Sic Ausonius multa debet Vergilio Horatio Ovidio Lucano Statio aliis, non solum metra sed etiam sententias, sed omnium maxime in Vergili operibus versatus est, id quod optime inde cognosci potest, quod centonem nuptialem e versibus vel versuum partibus Vergilianis mutatione non admissa composuit[4]). Etiam graecas musas evocavit[5]) et quo minor scientia eius erat, eo maior iactantia, ita ut eius oratio Graeco colore tamquam fucata sit.[6]) Neque desunt opera, in quibus sententiae nugis opprimantur, ita ut ipse technopaegnion fateatur inertis otii sui inutile opusculum esse; quin etiam carmina Graeca componere conatus est et hic illic enuntiata Graeca versibus inseruit, quae cum ad quaestionem nostram diiudicandam nullius momenti sint, in notis tantum breviter afferam.

Seiungendum quoque monstrum illud, ut ita dicam, semigraecum putavi, epistulam illam ad Paulum, in qua

[1]) Numeris usus sum editionis quam fecit C. Schenkelius, Berolini MDCCCLXXXIII in Mon. Germ. hist. V 2; praeterea adhibui editiones, quas fecerunt R. Peiper, D. Magni Ausoni opuscula, Lipsiae MDCCCXXXVI, C. Hosius, Die Moselgedichte des Decimus Magnus Ausonius und des Venantius Fortunatus, Marburg 1909; Baehrens PLM III pag. 242 Catonis de musis versus; ibid. V pag. 91 sq. Incerti Sulpicia aliaque; ibid. pag. 351 carm. 4.

[2]) Everat l. c. pag. 88.

[3]) A. Meurer, De Dec. Magni Ausoni genere dicendi quaestiones, diss. Monast. MDCCCLXXIII, pag. 8; praeterea adhibui: Mertens, Quaestiones Ausonianae, Lips. MDCCCLXXX.

[4]) Speck l. c. pag. 23.

[5]) Ferd. Stahl, De Ausonianis studiis poetarum graecorum, diss. Kiliae MDCCCLXXXVI.

[6]) Meurer l. c. pag. 9; idem isdem verbis Everat l. c. pag. 63.

vocibus usus est ex Graecis Latinisque conglutinatis, quas hybridas dicimus.[1]) Poetam enim non tam ut nova linguae Latinae vocabula daret, quam per ludum voces et elocutiones Graecas carminibus inseruisse apparet.

Sed hoc quoque accuratius pertractandum est, quae Ausoni carmina genuina sint, quae non sint. Inveniuntur enim, quae certe falso inter Ausoni carmina recepta sint, de aliis adhuc sub iudice lis est. Atque carmina, quae in collectionibus Tiliana et Vossiana inveniuntur[2]), omnia Ausoniana esse omnes fere viri docti censent[3]); orationem tantum consulis Ausoni versibus rhopalicis, quae multis rebus scrupulos nobis inicit, inde ab I. Scaligeri temporibus editores ex opusculis Ausonianis eiecerunt. Quorum argumenta Brandesius contulit[4]). Sed hac ipsa re commotus Peiper[5]) carmen recepit. Neque dubitari potest quin poeta singulari versus pangendi ratione coactus carmen tam barbare composuerit[6]). Praeterea singulis codicibus singula traduntur: ludus septem sapientium[7]),

[1]) Reinhold Köhler, Ausonius und die maccaron. Poesie, Rh. Mus. XII (1851) pag. 434—36.

[2]) Cf. Schenkl, edit. pag. XIX; Peiper, edit. pag. LXX; Brandes, Jahrb. f. class. Phil. 123 (1881) pag. 61; Seeck, G. G. A. 1887 pag. 515; Marx, Pauly-Wissowa RE II 2567.

[3]) Duo carmina didactica (Est et non, de viro bono) una cum alio carmine falso Ausonio tributo (de rosis nascentibus) postea in appendicem Vergilianam recepta sunt; Riese AL 644—46; REllis Appendix Vergiliana, Oxonii MCMVII.

[4]) W. Brandes, Beiträge zu Ausonius, I. Vom Christentum des Ausonius, von Reimstrophen und den versus rhopalici, Wolfenbüttel. Progr. 1895.

[5]) Peiper, Die handschr. Überl. des Ausonius, Jahrb. f. class. Phil. Suppl. XI 274.

[6]) Cf. Villani, Quelques observations sur les chants chrétiens d'Ausone, Rev. des études anc. 1906 p. 325 sqq.

[7]) Persaepe sub Ausoni nomine nullo codice auctore traduntur septem sapientium sententiae septenis versibus (PLM III 159 sqq., Schenkl, app. pag. 246, Peiper pag. 406); cf. etiam Manitius Jahrb. f. Phil. 87, 79; Wölfflin, Publ. Syri sent. pag. 149. — Aliud carmen de septem sapientibus in Hygini fabula CCXXI citatur. Id carmen, a Sniehotta et Zwienero praetermissum quamquam fines quaestionis meae excedit, tamen hoc loco afferendum putavi. Neque dubitari potest quin haec de septem sapientibus carmina omnia non solum inter se cohaereant sed etiam ad communia Graeca carmina spectent. Imprimis hi versus ab Hygino laudati nonnulla communia habent cum Pseudoausoniano de septem sapientibus carmine (Schenkl pag. 250), quod verbotenus ex graeco translatum est (=AP. IX 366).

periochae Iliados et Odysseae[1]. Mosella, epigrammata editionis Avanti et Ugoleti, quorum maxima pars falso Ausonio tribuitur[2].

Claudianum[3] permulta nomina Graeca versibus inseruisse mirum esse non potest. Liberaliter enim et Graecis et Latinis litteris institutus, cum se totum Musae Latinae dedisset, ad limites fere Ovidianos Vergilianosque artem restrinxit[4]. Quos poetas a Graeca declinatione minime abhorruisse — multas enim fabulas Graecas nominaque heroum Graecorum versibus intexuerunt — Sniehotta demonstravit.[5] Ultimo loco duos scriptores ecclesiasticos Iuvencum[6] et Commodianum[7] pertractavi. Hi quoque hic illic Graeca verba adhibent, sed longe alia ratione atque ceteri poetae. Permulta enim nomina quae Romanis minus aut omnino non nota erant una cum historiis et libris

---

[1]) Peiper, Jahrb. f. class. Phil. 1880 pag. 208, quem Schenkelius, edit. prooem. pag. XI, secutus est, periochas Fulgentio tribuit; W. Brandesius, Beiträge zu Ausonius, III, Die Periochae Iliadis et Odysseae, Wolfenbüttel 1902, pag. 20, omnia accurate perscrutatus periochas opus discipuli vel familiaris cuiusdam Ausoni esse vult; Marx (Pauly-Wissowa RE II 2576) opus Ausonio tribuit.

[2]) Schenkl pag. 252. Peiper 419. PLM V 97. Peiper, Jahrb. f. class. Phil. Suppl. 11 (1880) pag. 226. — Falso Ausonio tribuitur carmen de Sulpicia (PLM V 91 sqq.) et carmen de signis caelestibus (PLM V 351, Peiper 412).

[3]) Editt. adhibui, quas fecerunt Th. Birt in Mon. Germ. Hist. X, Berolini MDCDCXCII; Ludovicus Ieep, Lipsiae MDCCCLXXXVI; Iulius Koch, Lipsiae MDCCCXCIII.

[4]) Birt, praef. pag. CCII.

[5]) Sniehotta l. c. p. 64.

[6]) Editionibus usus sum, quas fecerunt I. Huemer, Vindobonae MDCCCXCI, et C. Marold, Lipsiae MDCCCLXXXVI.

[7]) Editiones adhibui, quas fecerunt E. Ludwig, Lipsiae MDCCCLXXVII et B. Dombart (CSEL XV), Vindob. MDCCCLXXXVII. De studiis Commodianeis conferas Iülicher, Pauly-Wissowa RE s. v. Commodianus; Fr. Hanssen, De arte metrica Commodiani, diss. philol. Argent. select. V 1881; W. Meyer, Anfang und Ursprung der lat. und griech. rythmischen Dichtung. Abh. d. Münch. Akad. d. Wiss. XVII Abt. 2, 1885; Brewer, Kommodian von Gaza . . Paderborn 1906; P. Lejay, Revue critique 1907 N. 37 et 1909 N. 34, 35; H. Scheifler, Quaestiones Commodianeae, Vrat. MCMVIII; Fr. X. Zeller, Die Zeit Commodians, Tüb. 1909; Skutsch, Glotta II 386.

sanctis a Graecis receperunt, quorum magnus numerus brevi tempore plane in sermonem Christianorum Romanorum cottidianum transiit. Praeterea multa nomina Hebraica — nomina quae ad historiam vel loca sancta Iudaeorum et Christianorum pertinent — Graece terminaverunt. Imprimis Commodiani genus dicendi a poetarum aliorum usu valde discrepat. Neque enim solum lingua populi usus a grammaticis reprehendi quam non intellegi a populo mavult[1], sed etiam versus pangendi rationem ad leges ab Ovidio alienissimas contorsit[2]. Iam ex his, cum certa argumenta deesse viderentur, quibus quo tempore Commodianus carmina sua scripserit demonstrari possit, viros doctos de eius aetate in summas controversias deductos esse facile intellegitur. Atque cum vetustiores poetam saeculo tertio vindicavissent, Brewer subtili studio atque doctrina e carminum argumentis[3], Scheifler e lingua et arte metrica saeculum quintum substituendum esse demonstraverunt[4]. Atque etiam rebus a me observatis Commodianus ita a ceterorum huius aetatis poetarum usu differt, ut mihi Breweri et Scheifleri sententia quam Zelleri, qui Commodianum instructionum libros annis 251—54. carmen apologeticum a. 258 scripsisse demonstrare vult, multo probabilior esse videatur.

3. Restat ut pauca verba faciamus de nominibus Graecis, quae semper terminationem —*us* exhibent. Sunt autem vocabula, quae aut saepius ab hominibus Romanis adhibebantur, aut partim quasi vernacula facta erant; in his igitur, quae in dissertatione non respexi, numeravi:

abacus absinthus acanthus amaracus amethystus antidotus arcturus asparagus barbarus beryllus birrus boletus bulbus calamus camelus carbasus cedrus cerasus chorus circus citharoedus colaphus comicus cophinus corymbus cothurnus crocodilus crocus crystallus cyathus

[1] Cf. Scheifler l. c. pag. 1 sq.

[2] L. Mueller, De re metrica Lips. MDCCCXCIV pag. 555 et 577 [2] sq.

[3] Cf. etiam Manitius, Wochenschrift f. klass. Phil. 1907 pag. 190.

[4] Singulos qui de Commodiani aetate egerunt Brewer et Zeller attulerunt. Praeterea cf. Révay, Commodianus, Budapest 1909; Brewer, Die Frage und das Zeitalter Kommodians, Paderborn 1910 et Köln. Volksztg. 1911. Lit. Beilage p. 73 sq.; Thiele W. f. kl. Ph. 1911 N. 26; Manitius DLZ 1911 N. 16; Bigelmair ib. N. 23.

cygnus cynicus echinus elleborus ephebus eurus grammaticus gryllus gyrus hyacinthus hymenaeus hymnus lapathus lemniscus moechus myrtus narcissus nardus notus oceanus origanus panegyricus papyrus pardus peplus petasus phaselus philosophus platanus polus pontus prologus raphanus rhombus rhythmus scarabaeus scopulus scorpius scyphus smaragdus stilus stomachus taurus thalamus thesaurus tholus thronus thymus thynnus thyrsus tragicus tragoedus typus tyrannus zephyrus — podager. — abrotonum anethum antrum astrum balsamum carchesium chelidonium cimmanum colum conchylium corallium coriandrum cuminum cymbalum electrum epithalamium marathrum melanthum metallum mysterium nitrum organum peristylum pletrum proscaenium sceptrum stadium talentum theatrum toxicum tropaeum tympanum —

elegi — orgia

aërius aetherius amygdalinus apologus barbaricus catalecticus chelidonius choreus choricus croceus cygneus dactylicus geometricus heroicus lyricus magicus magneticus melicus musicus myrteus mysticus nectareus physicus poeticus rhetoricus rhythmicus scholicus tragicus.

Nominum primam declinationem sequentium haec seiunxi:

aethra ancora aula bibliotheca charta chelidonia chimaera chorda chorea cithara coma comoedia concha cumba ecloga elegia epistula gaza historia hydra leaena lyra machina mitra musa norma nympha orchestra palaestra palma pera pharetra plaga poeta podagra pompa scaena schola scilla spongia stola syllaba tragoedia zona.

phalerae thermae.

Tertiae denique declinationis separavi haec:

draco leo marmor sinapi tigris tus.

Voces quae a Christianis receptae plane in sermonem Latinum transierunt has hoc loco enumero secundae declinationis:

angelus apostolus catecuminus diabolus hymnus psalmus — apocryphus clericus zabolicus propheticus,

has autem primae:

cathedra ecclesia gehenna murra pascha prophetia plasma (plasma, ae = plasma, atis, Commodian. insti. I 35. 2 et carm. apol. 315; conferas etiam Brewer l. c. p. 342) synagoga.

patriarcha propheta.

Caput I.

De nominum Graecorum usu.

§ 1. De nominativi formis.

1. Nomina, quorum nominativus Graecus per —ος vel —ον terminatur, apud poetas Latinos et Graece et Latine flectuntur h. e. vel Graecam terminationem —ος, —ον servant vel Latinam *—us, —um* exhibent.[1])

Hadrianus omnium nominum, de quibus hic disseritur, nominativum Latinorum mori adaptavit: *Clonus Oebalus,* — *Argolicus Moesus Parthus.*[2])

P. Annius Florus, Annianus, Septimius Serenus, Avitus Alfius, Marianus, Modestinus, Hosidius Geta in versibus nobis traditis nomina Graeca secundam sequentia declinationem non exhibent.

Sulpicius Apollinaris ubique Latina forma usus est: *Euryalus Iulus Nisus Phoebus.*

Terentianus Maurus[3]) his locis Graecam terminationem servavit: *amphimacros* 1450 *dialectos* 649 *galliambos* 2887 *epitritos* 2406 *endecasyllabos* 1945 *mimiambos* 2416 *rhamnos* [*Rhamnes* M] 221 — adi.[4]) *Corinthios* 1495 *dichronos* 487: *colon* 2512. 2535 — *dichronon* 398. 484 *disyllabon* 674 *iambicon* 2585 *ionicon* 2011.

Nonnulla et Graece et Latine flectuntur: (ἀνάπαιστος) 1403 *anapaestus* 1521. 1908. 1913. 2036. 2357. 2841. 2894 — (ἀντίβακχος) 1411 *antibacchos* 1913 *antibacchus* 2388 — (βακχεῖος) 1411 *bacchius* 1651 — *choriambos* 1877 *chori-*

---

[1]) Neue 1³ pag. 191 sqq. Bednara l. c. p. 356 sq. Zwiener l. c. p. 3 sqq.

[2]) Sniehottae et Zwieneri rationem secutus eis tantum nominibus quae Graece terminantur numeros addidi.

[3]) Haec tantum nomina Graeca in hac dissertatione respexi, de quibus num poeta ipse ea graece scripserit dubitari potest.

[4]) Adiectiva constanter a ceteris nominibus seiunxi, quia perpaucis exceptis ubique Latine flectuntur.

ambus 1882. 2525. 2645. 2686 — *chorios* 1488 *chorius* 1907 — *dactylos* 1163. *dactylus* 476. 684. 699. 1072. 1096. 1107. 1113. 1130. 1181. 1187. 1195. 1212. 1241. 1442. 1613. 1727. 1731. 1735. 1739. 1741. 1745. 1752. 1761. 1849. 2036. 2307. 2816 — *digammos* 162 677 [—*on* M.] 758 *digammus* 751 — *dipthongos* 407. 409. 428. 430. 459. 475. 488. 493. 505. 526. 671. 675. 968. 983. 995 *dipthongus* 437. 485 — *epodos* 2099 *epodus* 1804. 2105. 2435. 2468. 2923 — *spondeos* 1558. 2020. 2312 *spondeus* 684. 1130. 1134. 1181. 1211. 1378. 1442. 1448. 1553. 1608. 1622. 1634. 1637. 1666. 1735. 1741. 1766. 1774. 1850. 2022. 2072. 2090. 2091. 2357. 2749. 2894 — *tetrametros* 2931 *tetrametrus* 2095 *tetrameter* 1466. 2116 [Keil —*us*] — *metron* 310 *metrum* 2076. 2339. 2394. 2607.

acephalos 2420 *acephalus* 2349. 2459. 2427 — *choriambicon* 1862 *choriambicum* 2607.

Ubique terminationem Latinam praebent haec nomina: *Archebulus Archilochus Callimachus hexametrus Homerus iambus Iolaus Menelaus pariambus Phalaecius Tlepolemus trochaeus Xanthus* — *hexameter Hister pentameter* — *Achaeus Aeolicus Cybeleius Homericus anapaesticus choriambicus creticus dactylicus dimetrus disyllabus herous iambicus ionicus trimetrus trisyllabus trochaicus bacchiacus.*

In Q. Sereni Sammonici libro medicinali duo tantum nomina insunt, quae Graece finiuntur: *hemitritaeon* 932 *prassion* 362; cetera Latine terminantur: *Damascus Democritus elelisphagus Nicolaus Telephus tithymallus* — *ostocopum* — *Epidaurius Persicus.*

In Gallieni fragmentis nullum exemplum invenitur.

M. Aurelius Olympius Nemesianus ubique Latina terminatione usus est. Inveniuntur in eclogis: *Bacchus Hesperus Linus Meliboeus Mopsus Nyctilus Phoebus Priapus Silenus Tityrus* — *Oeagrius*, in cynegeticis: *Phoebus* — *Castalius Threicius.*

In carminibus quae inscribuntur Ad oceanum et Pontica nominativi in *—us* vel *—um* exeuntes non exstant.

In Lactanti de ave Phoenice carmine Latine tantum nomina finiuntur: *Aegyptus Aeolus Assyrius Phoebus.*

In sententiarum collectione quae inscribitur Catonis disticha Graecae voces omnino non inveniuntur.

In carmine quod Pervigilium Veneris inscribitur duo tantum nomina per —*us* terminata exstant: *Bacchus Phoebus*.

Vespa omnia nomina Latine flexit: *Bromius Icarus Sisyphus Tantalus* — *Meleager*.

Reposiani de concubitu Martis et Veneris carmen praebet nomina Graece terminata: *Byblos* 36 *lotos* 39. Latine terminatur: *Phoebus*.

Pentadi carmina quae supersunt praebent nomina Latine terminata: *Daedalus Eurus Narcissus*.

In carmine cui editores nomen dederunt Epistula Didonis ad Aeneam invenimus unum nomen per —*us* terminatum: *Ascanius*.

In altero carmine rhetorico eiusdem fere temporis quod Verba Achillis in parthenone, cum tubam Diomedis audisset, inscribitur, unum nomen Graece terminatum invenitur: *Scyros* 80.

Tiberianus in carminibus quae supersunt semper Latinam terminationem adhibuit: *Hermus Pactolus* — *Tartareus*.

Eandem fere rationem P. Optatianus Porfyrius secutus est qui nomina haec per —*us* vel —*um* terminata adhibuit: *Haemus Indus Nilus Phoebus* — *Delius Medus Nileus Parthus* — *aonium Sigaeum;* semel tantum scripsit *arctos* 18,31.

Iam ad Rufium Festum Avienum transeo. Is in carmine ad Flavianum unum nomen Graece terminavit: *Corinthos* 8 (cf. Daigl. l. c. p. 8); in Arateis Graece flexit: *euros* 1532 *orchilos* (avis) 1763 *scorpios* [—vV, —*us*A] 239; Latine terminavit haec: *Aratus Centaurus delphinus* 1117 (sed in versu 700 scripsit *delphis*) *Harpalus Heridanus hesperus Oceanus ophiuchus* (= anguitenens) *Pelius* [A; —*ion* V Breysig] 888 *Phoebus Scorpius Sirius*. in descriptione orbis terrarum Graecam terminationem his locis servavit: *Arctos* 1332 *Byblos* 1070 *Lemnos* 700 *Pachynos* 635. Cetera nomina Latine terminavit: *Abydus* 693 *Achelous Aeolus Aesarus Alpheus Amnisus Aradus Bacchus Berytus Bosphorus Cadusus Carpathus Caucasus Cephisus Caunus Corycus Cragus Cydnus Cyprus Cyrnus Cyrus Ebusus*

Ephesus Ericthonius Hellespontus Hemus Icarus Imbrus Indus Libanus Lesbus Lyrnessus Marathus Mardus Molus Nilus Oceanus Oxus Pactolus Pegasus Phoebus Pyramus Rhodus Samus Scyrus Tartessus Taurus Telmissus (Τελμησσός, Lyciae urbs) *Tenedus Thasus Tyrus Xanthus; — Cymander Maeander; — Hesperium Threicium;* in carmine quod inscribitur ora maritima Graecam terminationem duobus locis adhibuit: *Poetaneon* 199 *Samos* 45, cetera Latine terminavit: *Chrysus Damastus Dionysus Hecataeus Hellanicus Herodotus Oceanus Pausimachus Roscynus Sellus Sordus Tartessus Theodorus — adytum Cyneticum Hemeroscopium Massienum.*

Adiectiva semper Latine flexit: *Aegyptius Atticus Bostrenus Caryandaeus Casius Chius Cimmerius Cinyreius Cletaneius Cnidius Colchus Hadriaticus Hesperius Hiberus Hyperionius* |*—us* A, *hyperionos* v| 1308 *Hyrcanus Ionius Issicus Lesbius Milesius Moesus Mysus Oestrymnicus Persicus Phoebeius Tartesius Thessalus Thracius Thurius Tirynthius Titanius — Atlanticum Caspium Scythicum Tartesium.*

Multas voces Graecas et Graece et Latine terminatas in D. Magni Ausoni poematis invenimus. Atque Graece terminantur in eclogarum libro: *Corinthos* 13.$_{3}$, *Scorpios* |*—os* V, *—us* l cett; *—on* Lugd. volg.| 9,$_{11}$; in parentalibus: *Atropos* 15,$_{7}$; in Mosella: *Pharos* 330; in ordine urbium nobilium: *Lygos* 14; in gripho: *logos methodos* 68 *omphalos* 60 *Rhodos* 71; in technopaegnio: *monosyllabon* 12,$_{13}$ — praeterea titulus *technopaegnion.* Graecam terminationem praebet in epistulis: *Nechepsos* |*mechepsi* T, *nethepsi* v, *nechepsi* cet. E, *nechepsus* Vin., *Necepsus* volgo, *Nechepsos* Schenkl| 19,$_{24}$. *sophos* 22. 2.$_{26}$; in epigrammatis: *Acindynos* 38,$_{1}$, $_{3}$. *Aegyptos* |*—ios* T, *—os* Mx, *—us* Ven.[4] volg.| 30,$_{2}$ *chrestos* 38,$_{1}$ — *elegeon* 97,$_{2}$ *mixobarbaron* |*—um* T, *—om* v[2], *—um* E Ug. Turnebus volgo| 30 tit.; in carmine didactico. quod inscribitur Pythagoricon |Schenkelius XXIX, Peiper VII 2|: *Saguntos* 30; in carmine pseudoausoniano de signis caelestibus: *Deltoton* 4. Praeterea inveniuntur in titulis carm. XI *epicedion*, XIV *genethliacon*, XXXII *Hesiodion*, XXIX *Pythagoricon* |lemma exstat in V. in cett. codd. corruptum est. Peiper: *Pythagoricum*|·

Magnus autem est numerus nominum per *—us* vel *—um* terminatorum: *Alcinous Aponus Aristarchus Aristippus Cerberus Christus Chromius Cleobulus Croesus Cyrus Deiphobus Diodorus Epicurus Eunomus Glaucus Hermaphroditus Hesperus Homerus Hyacinthus Hydrus* [*idros* V, *ydros* Vat. *ydris* G de sign. caelest. 11] *Ibycus Icinus Narcissus Oceanus Orcus Parnasus Pegasus Phalaecus Phoebus Pindarus Pittacus Polydorus Pyrrhus Sirius Stoicus Syriscus Taurus Terentius Troilus Tyndareus Zaleucus — Alexander Periander — antibacchus emporus griphus euripus hippocamelus sphondylus spondeus trochaeus zelus — Elysium metrum,* praeterea adiectiva *Aegyptius Anthedonius Caledonius Calydonius Cecropius Cerberus Cinyreius Corinthius Cyllenius Dardanius Delphicus Doricus Eous Gangeticus Gortynius Hiberus Ismarius Lacedaemonius Lesbius Libycus Lindius Lydus Lycius Oebalius Phoebeius Salaminius Tartareus Thraeicius Troius tropicus — Argolicum Ausonium Cecropium iambicum trimetrum*[1]).

In Claudi Claudiani operibus permulta exstant nomina per *—os* et *—on* vel *—us* et *—um* terminata. Quorum haec semper Graece flectuntur: *Arctos Atropos Cnosos Cocytos Delos Isthmos Pharos — Pelion.* Inveniuntur enim in paneg. dict. Prob. et Olybr. coss.: *Arctos* 26 — *Pelion* 203; in libris in Ruf.: *Arctos* I 325 *Cocytos*[2]) II 467 *Pelion* II 44; in libris in Eutrop. *Pharos* I 218; in libr. de bell. Gild.: *Atropos* 203; in Fescenn.: *Delos* I 8; in epith. nupt. Hon. pr. 1: *Pelion*; in libro de IV. cons. Hon.: *Arctos* 51 *Delos* 133; in libr. de cons. Stil.: *Delos* III 256; in libr. de bell. Poll.: *arctos* 66 *Isthmos* 190—*Pelion* 74; in carm. min.: *arctos* $53,_{11}$ *Cnosos* $4,_{8}$ *Delos* $25,_{144}$ *Pharos* $22,_{57}$; in libr. de rapt. Pros.: *Arctos* II 189 *Atropos* I 218 *Cocytos*[2]) I 87 *Delos* II 34.

Nonnulla nomina et Graece et Latine flectuntur: *Cephisos* Ruf. pr. I 10 [2]) — *Cephisus* rapt. Pros. II 136; *Cypros*[2]) Eutr. II 21 — *Cyprus* Eutr. pr. II 72; *Notos* c. m.

---

1) In carmine ab Hygino in CCXXI. fabula laudato (cf. p. 6 not. 7) invenimus *Cleobulus Pittacus* et adiectiva *Cecropius Milesius*.

2) Codd. fluctuant inter *—os* et *—us*.

25,$_{144}$ — *Notus* Hon. IV 173; *Tityos*[1]) Ruf. II 515, Hon. III 160 — *Tityus*[1]) rapt. Pros. II 338.

Latine Claudianus haec nomina terminavit: *Aeacus Aegyptus Aeolus Alpheus Antiochus Aponus Arcadius Attalus Bacchus Bartholomaeus Bosphorus Cadmus Caucasus Cerberus Cephisus Christus Cyllarus Cyprus Cyrnus Democritus Enceladus Epirus Eridanus Euandrius Eucherius Euhius Eurus* (= *oriens* Stil. II 417) *Eutropius Girraeus Glaucus Haemus Hesperus Homerus Hosius Hymenaeus Iacchus Indus Lazarus Lyaeus Lycurgus Medus Myrtilus Nilus Oceanus Olybrius Orphnaeus Pactolus Parrhasius Parnasus Pegasus Permessius Peneus Philippus Phoebus Pontus Porus Polyphemus Ptolemaeus Pyrrhus Sangarius Silenus Sirius Sperchius Tantalus Tartarus Tarbigilus*[2]) *Telephus Thessalus Theudosius Uranius Xanthus Zephyrus* — *Hister Maeander* — *bombylium.*

Adiectiva omnia Latine flexit: *Acheloius Aegaeus Aegyptius Aonius arctous Argaeus Armenius Babylonius Byzantius Colchus Cretaeus Cybeleius Cyllenius Delius Eous Epidaurius Gelonus Hesperius Hiberus Hyblaeus Inachius Indus Lemnius Maeonius Niliacus Ossaeus paralyticus Parthus Pellaeus Pharius Phrixeus Pierius Pythius Scythicus Syracusius Thessalus Thracius Tirynthius Titanius* — *Arctoum Cecropium Eoum Ionicum Libycum Oetaeum Parthenium.*

Apud poetas ecclesiasticos quos perscrutatus sum nomina Graeca Graece terminata omnino non inveniuntur, sed etiam nominum per —*us* terminatorum numerus parvus est; his enim nominibus quae supra enumeravi[3]) exceptis plerumque de nominibus sanctorum agitur. Invenimus in Commodiani poematis haec in —*us* exeuntia nomina: *Antichristus Cacus Christus Cyrus Dionysus Paulus Stephanus Iudaeus, abyssus* (non legitur ante christianos) *protoplastus tartarus*; in Iuvenci evangeliorum libris: *Christus Didymus Iudaeus Lazarus Matthaeus Petrus Philippus* et nomen *Iesus* (Ἰησοῦς, οῦ).

---

[1]) Codd. fluctuant inter —*os* et —*us*.

[2]) De nomine cf. Birt. praef. pag. XXXV. adn. 7.

[3]) Cf. pag. 9.

Summam igitur si subducimus, nominativi terminatio *—os* servatur

apud	Terentian.	38ies	in	2721	vers.	i. e.	semel	in	72enis	versibus,	
in	Verb. Achill.	semel	=	89	=	=	=	=	89	=	=
apud	Reposian.	bis	=	182	=	=	=	=	91	=	=
	Auson.	15 ies	=	5241	=	=	=	=	349	=	=
	Claudian.	24 =	=	9850	=	=	=	=	410	=	=
=	Avien.	9 =	=	4615	=	=	=	=	513	=	=
=	Porfyr.	semel	=	819	=	=	=	=	819	=	=

ceteri poetae terminatione *—os* omnino non utuntur.

Nominativus *—os* mutatur in *—us*

apud	Hadrian.	13 ies	in	47	vers.	i. e.	semel	in	3,6enis	versib.	
=	Terentian.	191 =	=	2721	=	=	=	=	14,1	=	=
=	Sulpic.	quater	=	78	=	=	=	=	19,5	=	=
=	Pentad.	quater	=	78	=	=	=	=	19,5	=	=
=	Vespam	5 ies	=	99	=	=	=	=	20,0	=	=
=	Iuvenc.	119 =	=	3217	=	=	=	=	26,8	=	=
in	Ps. Auson.	16 =	=	440	=	=	=	=	27,5	=	=
apud	Tiberian.	quater	=	92	=	=	=	=	31,0	=	=
=	Nemesian.	17 ies	=	672	=	=	=	=	39,5	=	=
=	Lactant.	quater	=	170	=	=	=	=	42,5	=	=
=	Claudian.	230 ies	=	9850	=	=	=	=	42,8	=	=
=	Reposian.	quater	=	182	=	=	=	=	45,5	=	=
=	Avien.	199 ies	=	4616	=	=	=	=	46,2	=	=
in	Perv. Ven.	bis	=	93	=	=	=	=	46,5	=	=
=	Ps. Claudian.	7 ies	=	372	=	=	=	=	53,0	=	=
apud	Auson.	99 =	=	5294	=	=	=	=	53,5	=	=
=	Porfyr.	9 =	=	819	=	=	=	=	91,0	=	=
=	Sammon.	9 =	=	1107	=	=	=	=	123,0	=	=
in	Ep. Didon.	semel	=	150	=	=	=	=	150,0	=	=
apud	Commod.	18 ies	=	2313	=	=	=	=	128,5	=	=

Omnes igitur nominativi in *—os* exeuntes mutantur apud Hadrianum, Sulpicium, Pentadium, Iuvencum, Tiberianum, Nemesianum, Lactantium, in Pseudoclaudianeis, apud Sammonicum, in Pseudoausonianis, apud Commodianum, in Pervigilio Veneris, in Epistula Didonis ad Aeneam, apud Vespam.

Contra apud	Avienum	0,4	servantur,	9,6	mutantur,
=	Claudian.	0,9	=	9,1	=
=	Porfyr.	1,0	=	9,0	=
=	Auson.	1,5	=	8,5	=
=	Terentian.	1,7	=	8,3	=
=	Reposian.	3,3	=	6,6	=
in	Verb. Achill.	10,0	=	0,0	=

Et nominativi exitus *—on* servatur

apud	Terentianum	9 ies	in	2721	vers.	i.	e. semel	in	302enis	versib.
in	Ps. Auson.	semel	=	440	=	=	=	=	440 =	=
apud	Sammonicum	bis	=	1107	=	=	=	=	554 =	=
=	Ausonium	bis	=	5294	=	=	=	=	2647 =	=
=	Claudianum	ter	=	9850	=	=	=	=	3283 =	=
=	Avienum	semel	=	4615	=	=	=	=	4615 =	=

mutatur in *—um*

apud	Terentianum	14 ies	in	2721	vers.	i.	e. semel	in	194enis	versib.
in	Ps. Claudian.	semel	=	372	=	=	=	=	372 =	=
apud	Porfyrium	bis	=	819	=	=	=	=	410 =	=
=	Avienum	11 ies	=	4615	=	=	=	=	420 =	=
=	Ausonium	5 =	=	5294	=	=	=	=	1058 =	=
=	Claudianum	7 =	=	9850	=	=	=	=	1407 =	=

E denis igitur nominativis in *—on* exeuntibus

apud	Porf., in Ps. Claudian.	0,0	servantur,	10,0	mutantur,
=	Avienum	0,6	=	9,4	=
=	Ausonium	2,9	=	7,1	=
=	Claudianum	3,0	=	7,0	=
=	Terentianum	3,8	=	6,2	=
=	Sammon., in Ps. Auson.	10,0	=	0,0	=

Pauca denique de codd. variis lectionibus dicenda sunt. Eodem enim loco interdum codd. alii alias terminationes praebent, ut aut difficile aut vix diiudicari possit, qua terminatione poeta ipse usus sit. Attamen paucorum tantum nominum terminationes varias lectiones praebere demonstrari posse puto. His locis fluctuantem nominativum in *—os* exeuntem inveni: apud Avienum *scorpios* Arat. 239 [*—os* vV, *—us* A] *Hyperionius* descr. 1308 [*hyperionyos* v, *—us* A]; apud Ausonium *Scorpios* [*—os* V, *—us* b cett., *—on* Lugd. volg.] eclog. 9,11, *Aegyptos* [*—ios* T, *—os* M7., *—us* Ven.[4] volg., Peiper coniecit *Aegypti* (nom. pl.)] epigr. 30,2, *hydrus* [*—os* V. Vat., *ydris* G] de sign. cael. 11; apud Claudianum *Aegyptus* [*—us* EAJ, *—os* GPV] c. m. 28,5, *arctos* [*—os* P. *—us* R.] Gigant. 11, *Cephisos* [*—os* VAC Π, *—us* ΛPB] Ruf. I pr. 10, *Cocytus* [*—os* PAC (Ieepius *—us* adnotat), *—us* V[3] Π BΛ] Ruf. II 467, *Cocytos* [*—os* FAD, *—us* BCVW] rapt. Pros. I 87, *Cypros* [*—os* CE, *—us* B Φ Eutr. II 21, *Tityos* [*—os* VPEm C Π (*—o* in *—u* mutat Π[1]), *—us* ΛB] Ruf. II 515, *Tityus* [*—on* C, *—us* SDWFA, *Tityos* Ieep.] rapt. Pros. II. 338. Sunt igitur nomina, quae etiam apud singulos poetas inter *—us* et *—os* fluctuant.

2. Nomina, quorum nominativus Graecus in —ας vel —ης, genetivus in —ου excurrit, plerumque Graecam terminationem servant.[1])

[1]) Neue I[3] pag. 48. Sniehotta l. c. pag. 6—7, 52—53. Zwiener l. c. pag. 16 sq. Bednara l. c. pag. 355.

Ac primum pertractentur nomina in —ας exeuntia. Huius generis nomina inveniuntur apud Sulpicium: *Aeneas* 28. 31. 54. 64. 68. 76; apud Getam: *Pelias* 252; apud Nemesianum in eclogis: *Amyntas* III 1 *Idas* II 1. 19. 53. 60 *Iollas* IV 4. 72 *Lycidas* IV 1, in cynegeticis: *Boreas* 273. Vespa terminationem Graecam his locis servavit: *Aeneas* 28 *Pelias* 88 *Pythagoras* 33. In Apulei fragm. (PRF pag. 376) III 1 legimus *Critias*: Epistula Didonis praebet *Aeneas* 144; Porfyrius nullum nisi nomen *Marsya* $27_{,12}$ Latine formatum adhibuit. Plura exempla exstant in Avieni poematis, qui in descr. orb. terr. his locis Graeca terminatione usus est: *boreas* 585 *Eurotas* 571 *Hylas* 227. Ausonius Graece flexit in ephemeride: *Elias* III 42, sed *a* vocali correpta[1]), *Sosias* $4_{,9}$; in epitaph.: *Aeneas* $14_{,4}$. $20_{,5}$; in epistulis: *Lucas* $15_{,12}$; in epigr.: *Hylas* $96_{,1}$. $98_{,2}$ *Tiresias* $64_{,10}$; praeterea epigr. $68_{,3}$ invenitur nomen *Achilas*[2]) [VMb² p², *achilles* GG¹ *achillas* cett.]. Latine terminavit: *Aenea* epist. $16.2_{,36}$ *Chaerea* Caesar. I 33. In appendice Ausoniana invenimus *Aeneas* epigr. $2_{,5}$. Claudianus terminatione —ας his locis usus est: Eutr.: *Tiresias* I 315; Hon. IV: *Boreas* 181 *Eurotas* 211; Manl. Theod.: *Pythagoras* 91; Stil.: *Aeneas* I 98 *Boreas* I 217 *Eurotas* I 181; carm. min.: *Boreas* $30_{,6}$ *Thomas* $50_{,3}$; rapt. Proserp.: *Boreas* I 70. Latine autem terminavit: *Marsya* Eutr. II 271 (bis) *Mida* Hon. III 230. Apud poetas ecclesiasticos Hebraica tantum nomina[3]), praecipue nomina prophetarum, in —*as* exeunt atque apud Commodianum in instr.: *Belias* I $35_{,2}$ *Esaias* I $38_{,1}$. $41_{,1}$. II $19_{,3}$ *Helias* I $41_{,8,11}$, in carmine apologetico: *Esaias* 513. 533. 633. 290. 335. 375. 415. 467 *Helias* 39. 833 *Hieremias* 273. 371; apud Iuvencum: *Esaias* I 313 *Helias* II 545 III 348 IV 699 *Hieremias* I 264 *Iudas* IV 423. 427. 443. 511. 626 *Lucas* praef. *Zacharias* I 11.

---

[1]) Cf. etiam Everat l. c. pag. 80.

[2]) *Achillas, ae* vel *atis*, 'Αχιλλᾶς, *ā* v. Thes. L. L. s. h. v.; cf. etiam Leimeister l. c. pag. 1 et Zwiener l. c. pag. 116.

[3]) De his nominibus atque eorum quantitate cf. Hanssen l. c. pag. 71.

In summa igitur inveniuntur 74 nominativi in —*as* (semel in senario, semel in dimetro iambico, ceteri in hexametris) exeuntes, 6 in —*a* mutati. Atque servatum exitum Graecum —*as* invenimus

apud	Sulpicium	in	78	versib.	6ies	i. e.	semel	in	13	enis	versib.
=	Vespam	=	99	=	ter	=	=	=	33	=	=
=	Apuleium	=	59	=	semel	=	=	=	59	=	=
=	Nemesianum	=	672	=	10ies	=	=	=	67	=	=
in	Ep. Didonis	=	150	=	semel	=	=	=	150	=	=
apud	Iuvencum	=	3217	=	12ies	=	=	=	269	=	=
in	Ps. Auson.	=	440	=	semel	=	=	=	440	=	=
apud	Getam	=	461	=	semel	=	=	=	461	=	=
=	Ausonium	=	5294	=	8 ies	=	=	=	662	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	10 ies	=	=	=	985	=	=
=	Avienum	=	4615	=	ter	=	=	=	1538	=	=
=	Commod.	=	2313	=	18 ies	=	=	=	128,5	=	=

Contra exitus —*as* mutatur in —*a*

apud	Porfyrium	in	819	versibus	semel	i. e.	semel	in	819	enis	versib.
=	Ausonium	=	5294	=	bis	=	=	=	2647	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	ter	=	=	=	3283	=	=

Formae igitur Graecae in —*as* exeuntes terminationem —*as* apud Sulpicium, Vespam, Apuleium, Nemesianum, Getam, in Epist. Didonis, apud Avienum, in Ps. Ausonianis, apud Iuvencum servant omnes,

apud	Ausonium	servant	8,0,	mutant	2,0	formae,
=	Claudianum	=	7,7	=	2,3	=
=	Porfyrium	=	0,0	=	10,0	=

Nomina in —ης exeuntia inveniuntur his locis: apud Sulpicium Apollinarem: *Anchises* 18; apud Hosidium Getam: *Orestes* 294; apud Terentianum Maurum: *Orestes* 1960 *Scythes* 17 *Xerxes* 1160; apud Vespam: *Alcides* 78; in carm. quod inscr. Verba Achillis: *Thersites* 70. Porfyrius Latine scripsit *Sarmata* 18,$_{11}$, Graece terminavit: *Amphitryoniades* 28,$_{14.15}$.

Avienus quoque Graeca et Latina terminatione usus est, invenimus enim Graece terminata haec in Arateis: *Alcides* 382 *Bootes* 257. 1131; in descriptione orbis terrarum: *Alcides* 962 *Coaspes* 1273 *Ganges* 766. 826. 1329 *Hydaspes* 1342 *Orontes* 1091 — *Cofes* 1344; in ora maritima: *Thucydides* 50. Latine terminantur: *Chalonita* descr. orb. terr. 1208 *Geta* 442 *Pisida* 1022 *Sarmata* 442. 854. 858 *Scytha* 244. 444. 906. 971. 1287. 1288.

Ausonius Graecum exitum his locis servavit: in eclog.: *Alcides* 14,$_{3}$ *Bootes* 17,$_{20}$; in parent.: *Aristides* 24,$_{4}$; in epitaph.: *Atrides* 2,$_{1}$. 4,$_{3}$ *Nastes* 18,$_{1}$ *Orestes* 10,$_{3}$; in Mosella

achates 316 *Aristides* 388 *Dinochares* 312; in carmine VI: *Getes* 32 *Sauromates* 31; in ludo sept. sap.: *Thales* 69. 162. 163, praeterea nomen septimo cap. superpositum est; in Cupidine cruciato: *Oebalides* 10; in epistulis: *Bellerophontes* 24,72 *Pylades* 25,38. 65; in epigr.: *Alcides* 28,2; in epistula ad lectorem (Schenkelius III, Peiper I 1): *Aeacides* 31 *Alcides* 31.

Latine Ausonius flexit: *Geta* technop. 9,22.

In Pseudoausonianis exstant haec: *Actorides* perioch. Iliad. 12, *Thales* sent. sept. sapient. septen. vers. expl. III 2,9[1]).

Claudianus Graeca terminatione his locis usus est: Prob.: *Araxes* 160 *Ganges* 163; Ruf.: *Araxes* I 376 *Ganges* I 293 *Geryones*[2]) I 294 *Massagetes* I 312 *Pylades* I 108; Eutr.: *Oedipodes* I 289 *Orontes* I 434. II 115 *Thyestes* I 289; Gild.: *Alcides* 418; n. Hon.: *Bootes* 274 *Honoriades* 341; Hon. III: *achates* 91 *Bootes* 170 *Brontes* 193 *Euphrates* 70 *Orontes* 70 *Steropes* 195; Hon. IV: *Alcides* 533 *Araxes* 387 *Bootes* 186 *Euphrates* 388 *Ganges* 610 *Hydaspes* 601; Theod.: *Hydaspes* 29; Stil.: *Ganges* I 266 *Perses* III 164 *Scipiades* III pr. 1 et 21; Hon. VI: *Euphrates* 415 *Orestes* 113; Poll.: *Ephialtes* 75 *Leucates* 186; carm. min.: *Alcides* 22,15. 30,174 *Hydaspes* 40,13 *Orestes* 22,14; rapt. Pros.: *Alcides* II pr. 9 *cometes* I 233 *Hydaspes* II 82, III 325 *Niphates* III 263 *Orontes* III 373 *Steropes* I 241. Latine terminavit: *Sarmata Scytha*.

In appendice Claudianea inveniuntur: *Alcides* II 10 *Orontes* XIII 9.

Iuvencus servavit exitum —ης his locis: *Herodes* I 1. 233. 241. 257. III 35. 43. 53. 64. *Iohannes* praef. I 110. 351. II 510. III 36. 39. 45. 680. 708 III 263 (apostolus) *Iordanes* III 461 *Moyses*[3]) I 185 II 689 III 473; Commodianus servavit: *Moyses* instr. I 38,4; C. A. 48. 60. 275. 772 *Euphrates* 905 *Herodes* 516.

---

[1]) Idem nomen in carminis ab Hygino in fabula CCXXI laudati v. 5 exstat.

[2]) Birtius suis codicibus nisus scripsit *Geryon*, Ieepius, quem sequor, melioribus codicibus nisus maluit scribere *Geryones* (— ◡ ◡ —), ne genuina syllabarum quantitas mutaretur.

[3]) *Moyses*, Μωυσῆς vel Μωσῆς, Latine vulgo *Moses* vel *Moyses*; cf. Hanssen l. c. pag. 71 sq.

In summa igitur inveniuntur 121 nominativi in —ης (4 in senariis, 115 in hexametris, 2 in aliis versibus) exeuntes, 19 in *—a* mutati; atque servatum exitum Graecum invenimus

apud	Sulpicium	in	78	vers.	semel	i. e.	semel	in	78enis		versibus
in	Verb. Ach.	=	89	=	=	=	=	=	89	=	=
apud	Vespam	=	99	=	=	=	=	=	99	=	=
=	Iuvencum	=	3217	=	22 ies	=	-	=	147	=	=
in	Ps. Claud.	=	372	=	bis	=	=	=	186	=	=
apud	Claudianum	=	9850	=	45 ies	=	=	=	219	=	=
in	Ps. Auson.	=	440	=	bis	=	.	=	220	=	=
apud	Ausonium	=	5294	=	22 ies	=	=	=	240	=	=
=	Avienum	=	4615	=	12 ies	=	=	=	385	=	=
=	Porfyrium	=	819	=	bis	=	=	=	410	=	=
=	Getam	=	461	=	semel	=	=	=	461	=	=
=	Terentian.	=	2721	=	ter	=	=	=	907	=	=
=	Commod.	=	2313	=	7 ies	=	=	=	370	=	=

Contra exitus —ης mutatur in *—a*

apud	Avienum	in	4615	versib.	12 ies	i. e.	semel	in	385enis		versibus
=	Porfyrium	=	819	=	semel	=	=	=	819	=	=
=	Claudian.	=	9850	=	5 ies	=	=	=	1970	=	=
=	Ausonium	=	5241	=	semel	=	=	=	5241	=	=

Omnes igitur nominativi in —ςη exeuntes servant exitum apud Sulpicium, Getam, Terentianum, Vespam, in Verb. Achill., in Ps. Auson., in Ps. Claudian., apud Commodianum, Iuvencum, contra

apud	Ausonium	9,5	servant,	0,5	mutant
=	Claudianum	9,0	=	1,0	=
=	Porfyrium	6,6 . . .	=	3,3 . . .	=
=	Avienum	5,0	=	5,0	=

3. Nomina, quorum nominativus Graecus in —α vel —η exit, apud poetas Latinos et in *—a* et in *—e* exeunt.

Atque nomina in —α impurum exeuntia et Graece et Latine eundem exitum *—ā* praebent. Eiusmodi nomina inveni haec: apud Hadrianum: *Nisa*; apud Modestinum: *Arethusa*; apud Getam: *Scylla*; apud Avienum: *Aegila Andromeda Herma Herna Ophiussa Thraessa*; apud Ausonium: *Elissa Larissa Lacaena Scylla Thraessa*; apud Claudianum: *Arethusa Dictynna Henna Hybla Camerina Leda Ossa Scylla Sibylla Smyrna.*

Nomina, quorum nominativus Graecus in —α purum exit, excepto nomine *lŏgŏdāedălĭā* (Auson. techn. $13_{,1}$) ubique exitum *—ă* praebent. Inveniuntur haec apud Modestinum: *Myrrha Phaedra*; apud Terentianum: *Maia synaphia Troia*; apud Sammonicum: *Salamandra spongia*;

apud Lactantium: *India*; apud Porfyrium: *India Media;* apud Avienum in carm. ad Flavianum: *Hiberia,* in Arateis: *Caria Cirrha Cassiepia Cynosura Electra Hydra Maia.* in descr. orb. terr.: *Anchialia Apamea Asia Bebrycia Bithynia Calauria Cercyra Cynosura Gymnesia Hadria Lydia Medea Pamphylia,* in ora maritima: *Etrephaea;* apud Ausonium in eclog.: *Achaia Maia,* in epitaph.: *Clytaemestra Mysia Pleuronia Troia,* in urb.: *Antiochia,* in Cupid.cruc.: *Laudamia Myrrha Phaedra,* in technop.: *Rhea,* in monost. de aerumn. Herc.: *Hiberia,* in carm. de rat. puerp.: *Ilithyia,* in epistulis: *sphongia,* in epigr.: *Metanoea Ogygia*[1]) 30,,1 *Phaedra,* in carmine Caton. de musis quod falso Ausonio tribuitur: *Polymnia Thalia Urania,* in carm. de sign. cael.: *Cassiepia*; apud Claudianum in libr. d. Prob.: *Maeotia.* in libris in Ruf.: *hydra Lydia Medea Megaera tiara,* in libr. in Eutrop.: *Bithynia Iudaea Lydia Parthia Penthesilea,* in libro de bell. Gild.: *India Olbia Parthia,* in libro d. nupt. Hon.: *Galatea Lydia Parthia Thermantia,* d. 3. cons. Hon.: *Panchaia,* d. 4. cons. Hon.: *Cynthia Lydia,* in paneg. d. Manl. Theod.: *Academia,* in libr. de cons. Stil.: *Hiberia Lydia Oenotria Thermantia*, de 6. cons. Hon.: *Babylonia Maeotia Parnasia,* de bello Poll.: *Oenotria Thalia.* in carm. min.: *Deianira Galatea Gigantomachia Hiberia Laodamia Thalia Thermantia,* in libris de rapt. Proserp.: *Galatea Megaera Phlegra Panchaia,* in appendice Claudianea: *symphonia*; apud Iuvencum: *machaira Maria.*

Adiectiva quoque ubique Latine flectuntur: apud Sulpicium *Cytherea*; apud Terentianum *Pythagorea*; apud Lactantium: *Sabaea*; apud Sammonicum *Mithridatia Nereia*; in Pervigilio Veneris *Delia*; apud Vespam *Berecynthia*; apud Reposianum *Cytherea*; in Epistula Didonis *Cynthia*; apud Porfyrium *Calliopea Cirrhaea*; apud Avienum *Caspia Cercetia coeanea Cresia Cyllenaea Cynthia eoa Gnosia Hibera Lilybeia Maeandria Nereia Parnasia Thespia*; apud Ausonium *Aonia Boeotia Byzantia Cinyreia Cynthia Cytherea enthea Hiberia Laertia Lemnia Lesbia Lydia Minoia Parnasia*

[1]) Codd. praebent *Ogygie*, edit. Lugd. *Ogygia*, quae forma metro postulatur.

Pythagorea Rhamnusia Sipyleia Tartesia Thraeicia Tithonia Tritonia Troia; apud Claudianum *Aegyptia Briareia Byzantia Cadmeia Calliopea Capaneia Caspia Cyclopia Cynthia Cytherea Delia Dodonia Ephyreia Gortynia Heliconia Hesperia Hibera Ledaea Lydia Maeotia Minoia Nereia Oenotria Pelopea Pisaea Pythia Rhamnusia Scironia Scyria Thracia Titania Tritonia Typhoia*; apud Iuvencum *Galilaea Iudaea.*

Nomina, quorum nominativus Graecus in —η exit, aut servant aut mutant hanc terminationem. Latine praeter nomina, quae plane in sermonem cottidianum (cf. pag. 9) transierunt, omnia adiectiva uno *bucolice* Auson. epist. $4,_{90}$ excepto et nomina nonnulla saepius adhibita *(Aphrodita Creta Europa Philomela Ida)* flectuntur. Atque ut ad singulos poetas perquirendos accedamus, inveniuntur haec nomina apud Hadrianum Graece terminata: *Alce* PLM IV $123,_2$ *Glauce* ibid. $124,_{7.8}$ *Hippolyte* $123,_2$ *Lyce* $123,_2$; in Septimi Sereni fragmentis: (FPR 384) *Panope* $9,_2$ [1]); in Modestini reliquiis: *Canace* 8 *Euhadne* 9 *Progne* 7; Hosidius Geta uno tantum huius generis nomine usus est, quod Latinorum mori adaptavit: *philomela* i. v. 303. Eadem eiusdem nominis forma in Epistula Didonis (v. 54) invenitur. Vespa Graece scripsit: *Cybele* 43 *Europe* 92 *Niobe* 90 *Pasiphae* 92, Latine: *Philomela* 90. Terentianus Maurus Graecam terminationem in his nominibus servavit: *strophe* 2709 *tome* 1734. 1940. 2578. 2748. 2827. 2901. In Sereni Sammonici libro medicinali legimus: *myrica.* Nemesianus *—e* servavit in eclogis: *Dione* II 56 *Donace* II 59 *Meroe* IV 4. 7. 14. 38 *Mycale* IV 69 *Semele* III 22, in cyneg. *Calliope* 13 *Libye* 313 *Phoebe* 123. 179. Pervigilium Veneris unum praebet nomen Graece terminatum: *Dione* 7. 47. In Reposiani carmine de concubitu Martis et Veneris legimus: *Cythere* 17. 172. *Paphie* 50. 64. 80. 105. 135. 178. Pentadius

---

[1]) Baehrensius scripsit *Panopae* Lachmannianam editionem Terentiani Mauri secutus v. 2629 sq.: *geritque intus in oppidum anhelos Panopae greges* (cf. Wagner, Quaestt. neotericae, Lips. 1907 pag. 48 sq.). Vetustiores Terentiani editt. praebent *Panope*; cf. adnot. Santeni l. c. p. 361. Neue I [3] pag. 97. Atque solent poetae genetivum Graece flectere: German. Phaen. 666 ∼ Avien. Arat. 1207, Valer. Flacc. II 584, Ovid. Met. III 19.

servavit: *Chrysocome* $424_{,1}$ *Eurydice* $343_{,7\cdot8}$ *Progne* $343_{,3}$ *Helle* $343_{,26}$ (*—es* codd.), mutavit: *Philomela* $344_{,7\cdot8}$. Porfyrius Graece flexit: *Calliope* $2_{,10}$. $3_{,16}$. $21_{,4}$ *Syene* $14_{,12}$. Avienus et Latina et Graeca terminatione usus est. Graece terminavit in Arateis: *Alcyone* 580 *Erigone* 962. 1113 *Helice* 122. 124 *Merope* 581 *Phoebe* 1326. 1505. 1524 *Sterope* 581 *Taygete* 580, in descr. orb. terr.: *Aeetine* 1220 *Calpe* 111. 478 *Cerne* 328 *Coele* 1057 *Cyrene* 318 *Iope* 1068 *Laodice* 1076 *Leuce* 723 (bis) *Lyrbe* 1024 *Patalene* 1294 *Perge* 1017 *Peuce* 440 *Phaenagore* 733 *Side* 1015 *Sinope* 952 *Taprobane* 777, in ora maritima: *Achale* 184 *Bergine* 700 *Calpe* 87. 344 (bis). 348 *Cartare* 255 *Traete* 452 *Cimmanice* 622 *Helice* 590 *Menace* 422. 431 *Strongile* 453, mutavit *Creta Europa Ida Pallena*.

Ausonius servavit in comm. prof. Burdig.: *grammatice* $21_{,7}$ *Rhodope* $23_{,7}$; in Mosella: *Panope* 176; in Cup. cruc.: *Ariadne* 31 *Canace* 38 *Eriphyle* 26 *Pasiphae* 30 *Semele* 16 *Thisbe* 38; in gripho: *Hecate* I 15; in epistulis: *Calpe* $19_{,1}$ *metoche* $6_{,6}$ *tome* $4_{,90}$ *bucolice* $4_{,90}$; in epigr.: *Canace* $95_{,13}$ *Cythere* $36_{,5}$ *Niobe* $51_{,2}$ *Paphie* $97_{,3}$; in genethliaco: *Hecate* 23. Latine flexit: *Aphrodita Philomela Polyxena*. In epigr. Pseudoausonianis invenimus: *Daphne* $30_{,1}$ *Glauce* $22_{,7}$ *Niobe* $30_{,2}$; in carmine de rosis nascent. i. v. 21: *Paphie* [BAMP¹YX, *pasithe* H, *Paphiae* Peiper; in carmine de sept. sapient.: *Priene* 8; in carmine quod inscribitur Catonis de musis: *Calliope* 9 *Euterpe* 2 *Melpomene* 4 *Terpsichore* 5; in Sulpicia: *Calliope* 12.

Claudianus[1]) Graecum exitum his nominibus dedit: Ruf.: *Circe* I 153 *Rhodope* I 335, II 291; Eutr.: *Agaue* II 365 *Cybebe* II 280 *Cybele* I 325 *Hippolyte* I 333 *Meroe* I 178 *Phoebe* I 324 *Rhodope* II 163 *Sophene* I 220; Gild.: *Barce* 159 *Cybebe* 120 *Cybele* 130 *Meroe* 454; fesc.: *Hippolyte* I 35; n. Hon.: *Amphitrite* 175 *Cymothoe* 166 *Ide* 18 *Leucothoe*[2]) 156 *Meroe* 223 *Mnemosyne* 237 *Phoebe* 15

---

[1]) Cf. A. Welzel, De Claudiani et Corippi sermone epico, Vrat. MDCCCCVIII pag. 84.

[2]) In versu 63 legit Ieepius *Libye* (VV¹, *—ę* BL), Birtius *Libyae*, quod mihi probabilius videtur.

Spatale[1]) 167 *Terpsichore* praef. 9; Hon. III: *Dodone* 117 *Lipare* 196 *Meroe* 21 *Thyle* 53; Hon. IV: *Ephyre* 471 *Hiverne* 31 *Peuce* 630 *Thrace* 179. 475 *Thyle* 32 (Ieepius: *Thule*); Theod.: *Aganippe* 272 *Cybebe* 301 *Helice* 299 *Uranie* 274; Stilich.: *Hecaerge* III 253. 308 *Leontodame* III 259 *Lycaste* III 252. 276. 292 *Meroe* I 261 *Nebrophone* III 250. 315 *Phoebe* III 295 *Rhodope* I 130; Hon. VI: *Peuce* 105; Poll.: *Amphritrite* 337 *Phoebe* 233 *Rhodope* 177; carm. min.: *Aganippe* $31_{,61}$ *Circe* $30_{,21}$ *Cybele* $42_{,3}$. $53_{,18}$ *Meroe* $40_{,15}$ *Penelope* $30_{,31}$; rapt. Proserp.: *Amphitrite* I 104 (—*e* FADW, —*em* CSB) *Cyane* II 61 *Cybebe* I 212. III 271 *Cybele* III 134 *Dione* III 433 *Hecate* I 15 *Hippolyte* II 64 *Ide* I 207 *Phoebe* II 37. III 59 *Pholoe* II praef. 44 *Rhodope* II praef. 19 *Tisiphone* I 40 *Lipare* II 174 *Persephone* II 244; mutavit: *Aetna Creta Europa Iocasta*. In append. Claudianea invenimus nomen servatum: *Cythere* $7_{,4}$. $14_{,3}$, mutatum: *Creta*.

Commodianus Graece terminavit: *Semele* instr. I $12_{,6}$ [*semel* C].

Adiectiva Latine terminantur: apud Terentianum *Achaica Aeolica catalectica heroica phallica;* apud Sammonicum *Delphica Persica;* apud Tiberianum *Dorica;* apud Avienum *Aetola Attica Delphica Indica Medica Pelasga Taurica Thessala;* apud Ausonium *Attica dialectica Dorica Medica Memphitica Palamedica Tyrrhenica*; apud Claudianum *Hyrcana Nilotica Parthica Thessala Tyrrhena;* apud Commodianum *Christiana;* apud Iuvencum *Samaritica.*

In summa igitur inveniuntur 202 nominativi in —η exeuntes, 90 in *a* mutati; atque servatum Graecum exitum invenimus

apud	Modestinum	in	11	vers.	ter	i. e. semel	in		4enis	versibus	
=	Hadrianum	=	47	=	5 ies	=	=	=	9	=	=
=	Sept. Seren.	=	11	=	semel	=	=	=	11	=	=
=	Pentadium	=	78	=	5 ies	=	=	=	16	=	=
=	Reposianum	=	182	=	8 ies	=	=	=	23	=	=
=	Vespam	=	99	=	quater	=	=	=	25	=	=
in	Ps. Auson.	=	440	=	10 ies	=	=	=	44	=	=
=	Perv. Vener.	=	93	=	bis	=	=	=	47	=	=
apud	Nemesianum	=	672	=	12 ies	=	=	=	56	=	=
=	Avienum	=	4615	=	42 ies	=	=	=	109	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	76 ies	=	=	=	130	=	=

[1]) *pigmea* V¹P, *spatale* AV³ *fatale* Π *spatale* P¹ in mg., item φ, Ieepius hoc loco posuit *Spatale*, coniecit *Panope*; Birtius suspicatus est *Psamathe*.

in	Ps. Claud.	in	372	vers.	bis	i. e. semel	in	186enis	versibus
apud	Porfyrium	=	819	=	quater	=	=	205	= =
=	Ausonium	=	5241	=	20 ies	=	=	205	= =
=	Terentianum	=	2721	=	7 ies	=	=	388	= =
=	Commodian.	=	2313	=	semel	=	=	2313	= =

Contra exitus —η mutatur in —ă

apud	Pentadium	in	78	vers.	bis	i. e. semel	in	39enis	versibus
=	Tiberianum	=	92	=	semel	=	=	92	= =
=	Vespam	=	99	=	semel	=	=	99	= =
in	Ep. Didonis	=	150	=	semel	=	=	150	= =
=	Ps. Claud.	=	372	=	bis	=	=	186	= =
apud	Avienum	=	4615	=	22 ies	=	=	210	= =
=	Terentianum	=	2721	=	12 ies	=	=	227	= =
=	Ausonium	=	5241	=	17 ies	=	=	308	= =
=	Sammonicum	=	1107	=	ter	=	=	369	= =
=	Claudianum	=	9850	=	25 ies	=	=	394	= =
=	Getam	=	461	=	semel	=	=	461	= =
=	Iuvencum	=	3228	=	semel	=	=	3228	= =
=	Commodian.	=	2313	=	bis	=	=	1157	= =

Omnes igitur nominativi in —η exeuntes apud Hadrianum, Septimium Serenum, Modestinum, in Perv. Veneris, apud Reposianum, Porfyrium, in Ps. Ausonianis, apud Nemesianum exitum —η servant, contra

apud	Pentadium	9,0	servant,	1,0	mutant
=	Vespam	8,0	=	2,0	=
=	Claudianum	7,5	=	2,5	=
=	Avienum	6,6	=	3,3	=
=	Ausonium	5,4	=	4,6	=
in	Ps. Claudian.	5,0	=	5,0	=
apud	Terentianum	4,0	=	6,0	=
=	Commodianum	3,3	=	6,6	=

in Epist. Didonis, apud Tiberianum, Sammonicum, Getam, Iuvencum omnes mutant.

4. Nomina, quorum nominativus in *—is, —as, —s*, vel *—ax, —yx, —x*, vel *—an, —in, —en*[1]), vel *—or*[1]), *—er*[1]) exit, non mutata sunt, cum iisdem terminationibus nomina Latina tertiae declinationis utantur[2]). Inveniuntur apud Hadrianum: *Nais Thyrsis, Arcas Teuthras;* apud Modestinum: *Byblis Colchis;* apud Sulpicium *Iris;* apud Getam: *Charybdis;* apud Terentianum Maurum: *Aeolis arsis catalexis, Atlas, Hipponax ceryx. paean;* apud Serenum Sammonicum: *phrenesis pthisis synthesis, chalybs elephans hydrops strix*[3]), *splen, aer*; apud

[1]) Sniehotta l. c. pag. 8 sq. Zwiener l. c. pag. 30 sq.

[2]) Cf. Latina nomina *anguen lien semen solamen — coactor dictator — mulier.*

[3]) στρίγξ; cf. L. Müller, De re metr.[2] 498.

Nemesianum: *Adonis, Pallas, scolopax, Pan, aer aether;* in Ponticis: *Thetis, aether;* in Pervigilio Veneris: *aether;* apud Pentadium: *Busiris Cnosis Colchis Tantalis, Dryas;* apud Reposianum: *Adonis Cypris, Titan;* apud Lactantium: *Iris, Phoenix Araps;* apud Porfyrium: *Adonis Attis Araps, Pan Titan;* apud Avienum in Arat.: *Iris Isis delphis* (cf. pag. 12) *Atlans*[1]) *Pallas, arctophylax, aer aether crater;* in descr. orb. terr.: *Aeolis Asopis Ausonis Carambis Carmanis Colis Elais Hatramis Hypanis iaspis Illyris Inachis Iris Locris Lychnitis Maeonis Neapolis Ogyris Orthosis Phaselis Phasis Phocis Propontis Salamis Semiramis Siris Sybaris Syrtis Tanais Thetis Tigris Triphylis Tripolis Tybris — Adulas Atlas Garamas Sugdias — Alex Arabs Meninx;* in ora marit.: *Amphipolis Bacoris Callipolis Gerontis Oestrymnis Salauris Zephyris — Piplas — Arabs Phoenix Scylax — aer;* apud Ausonium: *Adonis Anacharsis Byblis Caenis Colchis Constantinopolis Elis Illyris Lachesis Nais Nemesis parecbasis Phyllis Procris Pyramis Sesostris Salmacis Themis Thybris — Aeas Bias*[2]) *Arcas Atlans Maenas Troas — Libs — arctophylax Astyanax Thrax — Eryx Phryx Styx — grammaticomastix Phoenix Sphinx Thraex, Paean Pan — hymen — Castor Hector rhetor — Car — aer Ser;* in carminis Pseudoausoniani de sign. cael. versu 5. invenimus: *Delphin* (cf. pag. 12 et supra l. 7); apud Claudianum: *Athesis Attis Caralis Charybdis Chloris Eleusis Iris Lachesis Lais Memphis Nais Phalaris Phasis Propontis Semiramis Sinis Tanais Thetis Thybris Tigris tigris — adamas Arcas Atlas Byzas Corybas elephas Garamas Gigas Hylas Mimas Pallas — Arabs chalybs Cinyps Cyclops Pelops — Mazax thorax Thrax — Cilix hystrix Pernix — phalanx — phoenix, Phryx Styx — Titan — hymen — Alastor Castor Damastor Hector — aer aether;* apud Iuvencum: *Samaritis;* apud Commodianum: *Phoenix — aer.*

Nomina Πυρόεις et Σιμόεις terminationem —εις mutant in —*is*: *Pyrois* (Auson. XXXII 12. Claudian. c. m. 25, 141)

[1]) Cf. Zwiener l. c. pag. 31 sq.

[2]) Idem nomen exstat in carmine ab Hygino in fabula CCXXI laudato,

Simois (Auson. Mosell. 376; Claudian. Stil. I 264. rapt. Proserp. III 372).

5. Nomina, quae in —ευς exeunt, hac terminatione non mutata dipthongi pronuntiationem ita servant, ut —*eus* pro una sit syllaba. Inveniuntur tamen interdum nomina, quae aut dirimant terminationem —*eus* in duas syllabas, aut incertae saltem pronuntationis sint[1]). Exstant autem apud poetas huius aetatis haec nomina in —*eus* exeuntia: *Alcyoneus Aloeus Atreus Briareus Cepheus Enipeus eritheus Eurystheus Nereus Nycteus Orpheus Peleus Pentheus Perseus Phegeus Phileus Prieneus Prometheus Proteus Salmoneus Tereus Typhoeus.*

Atque, ut iam singula adeamus, facile omnibus his locis —*eus* terminationem, ubi in arsi posita est, nullo alio modo nisi una syllaba pronuntiari posse intellegitur. Tali modo Vespa versibus suis inseruit duo nomina: *Pentheus* 77 *Tereus* 53; ab Avieno tria nomina in arsi posita sunt: *Cepheus* Arat. 1165 *Perseus* Arat. 1248 *Phileus* ora 43. Ausonius unum exemplum praebet: *Phegeus* epigr. 96.1; in Pseudoausonianis invenimus: *Cepheus* d. sign. cael. 3 *Perseus* ibid. 4. Plura inveniuntur nomina quae in Claudiani versibus dactyli arsin syllaba —*eus* explent: *Alcyoneus* rapt. Pros. III 185, *Briareus* Stil. I 304, *Eurystheus* Poll. 378, *Nereus* n. Hon. 157, rapt. Pros. III 11, app. II 84, *Palleneus* c. m. $53_{,109}$, *Salmoneus* Ruf. II 514, *Tereus* Eutr. I 293, *Theseus* Ruf. I 107.

Neque aliter res se habet, si terminatio —*eus* in fine versus posita est. Hoc autem imprimis loco poetae nomina in —*eus* exeuntia collocant. Inveniuntur enim in fine apud Getam: *Orpheus* 307 *Pentheus* 143; apud Nemesianum: *Orpheus* eclog. I 25; apud Vespam: *Pentheus* 77; in carm. quod inscr. Verba Achillis: *Peleus* 61; apud Avienum: *Cepheus* (Arat. 687. 1161. 1227) *eritheus*[2]) (Arat. 1764). *Nereus* (Arat. 308. orb. terr. 267) *Perseus* (Arat. 1246); apud Ausonium: *Prometheus* (XXIX 21); apud Clau-

[1]) Neue I³ pag. 504 sq. Birt, Rh. M. LII Suppl. pag. 11 sqq. Sniehotta l. c. pag. 9 sqq., 50 sqq.; Bednara l. c. pag. 356 sq.; Zwiener l. c. pag. 34 sq.

[2]) Cf. Daigl. l. c. pag. 8.

dianum: *Atreus* (Gild. 400) *Cepheus* (Poll. 245) *Enipeus* (Hon. III 116. Poll. 183. c. m. 53,$_{71}$) *Nereus* (Eutr. II 34 Stil. III 360. Ruf. I 183. Hon. VI. 496. rapt. Pros. I 144) *Nycteus* (rapt. Pros. I 285) *Orpheus* (n. Hon. 234; rapt. Pros. II pr. 1; c. m. 18,$_{19}$) *Perseus* (Ruf. I 270. 280) *Prometheus* (Eutr. II 492; Hon. IV 229; c. m. 53,$_{22}$) *Proteus* (c. m. 30,$_{128}$) *Tereus* (Eutr. II 364).

Eadem syllabae —*eus* pronuntatio in thesi metro postulatur apud Ausonium in ludo sept. sapientium:

Bias Pri|eneus | dixit . . 62,
Bias Pri|eneus | dixi . . 189 [1])

Nonnulla nomina poetae ita versui inseruerunt, ut terminatio in duas syllabas dirimi possit. Certe Latinam pronuntiationem per duas syllabas Pentadius in animo habuit, cum scripsit PLM IV 343 sq.:

Theseus Hippolyto vitam per vota rogavit,
optavit mortem Theseus Hippolyto;

nam cum poeta hoc loco versus anacyclicos fecerit, dubitari non potest quin etiam in hexametro nomen *Theseus* per tres syllabas pronuntiaverit.

Minus certo rem aliis locis diiudicare possumus, quibus poetae terminationem —*eus* in thesi ante vocalem insequentem posuerunt.

Ita invenimus apud Avienum:
Cepheus ipse caput distentaque bracchia vasto Arat. 1198,
Disterminari; Phileus hoc quamquam vetus ora 695.

Dubiam porro terminationem praebent nomina, in quibus vocalis —*o* terminationem —*eus* antecedit; his enim locis et *oe—us* et *o—eus* pronuntiare possumus. Huius generis invenimus nomina haec apud Claudianum: *Aloeus* [*aloeus* C, *aleᵒus* P¹, *aleus* A B, idem ex *alius* corr. Π¹] Poll. 68, *Typhoeus* [*tiphoeus* A B Π, *tipehq* P, *thipheus* A]

[1]) Idem nomen in capite carminis exstat, praeterea in fine versus 4 carminis ab Hygino in CCXXI fabula laudati: *plures esse malos Bias autumat ille Prieneus.* Qui versus e Graeco translatus esse videtur: τοὺς πλέονας κακίους δὲ Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς (= A.P. IX. 366,$_{7}$); in carmine pseudoausoniano de sept. sap. hic versus ita vertitur: *plures esse Bias pravos quem clara Priene* (*aluit*). (Cf. pag. 6 adn. 7).

Hon. III 159; [*tipheus* II BV^1, *tiphoeus* V^2, *trophoeus* A] Hon. VI pr. 17; c. m. 53$_{,32}$. Dubitari non potest quin librarii hic illic *oeus* (= *e—us*) scripserint; poetas autem, si omnia in *—eus* exeuntia nomina respicimus, etiam his locis Graecam pronuntiationem —ευς in animo habuisse statuemus.

In summa igitur nominativi in —ευς exeuntes inveniuntur

apud	Vespam	in	99	vers.	ter	i. e.	semel	in	33enis	versibus
in	Verb. Achill.	=	89	=	semel	=	=	=	89	=
=	Ps. Auson.	=	440	=	bis	=	=	=	220	=
apud	Getam	=	461	=	bis	=	=	=	230	=
=	Claudianum	=	9850	=	36ies	=	=	=	274	=
=	Avienum	=	4615	=	13ies	=	=	=	347	=
in	Ps. Claud.	=	372	=	semel	=	=	=	372	=
apud	Nemesianum	=	672	=	semel	=	=	=	672	=
=	Ausonium	=	5241	=	quater	=	=	=	1310	=

Latine duo nomina apud Pentadium terminantur.

6. Nomina Graece per —ων terminata paucis exceptis hanc terminationem servant[1]).

Hadrianus Graecam terminationem servavit PLM IV 124: *Lacon* 3 *Theon* 1. 5; syllaba correpta secundum illam de iambis corripiendis legem in eodem carmine: *Thẹon* (⏑⏑) 4. 6; mutavit in eodem carmine *Almo* 1. 4. 5. 6.

Florus semel nomen *Apollo* adhibet: PRF 414$_{,1}$. Apud Sulpicium invenimus in v. 16: *Sinon*. Geta huius generis nomina versibus non inseruit, at personarum agentium nomina singulis dialogi partibus anteposita duo excurrunt in —ων: *Creon Iason*. Serenus Sammonicus bis terminatione —ων usus est: *Cydon* 435 *Orion* 864. Apud Nemesianum inveniuntur nomina in —ων exeuntia haec in eclog: *Alcon* I 1. 19. 53. 70 et in cap. eclog. *Micon* III 1 et in cap. eclog.; in cyneg. v. 4: *Helicon*; Latine flexit: *Apollo* (eclog. I 5. 65. 82; II 72). Terentianus quoque hoc uno nomine excepto *Apollo* 1587 omnia huius generis nomina Graece terminavit: *Ion* 2047 σκάζων 2400 *Sciron* 1165.

In Pervigilio Veneris legimus: *chelidon* 90; idem nomen apud Pentadium invenimus: PLM IV 344$_{,17}$.

Vespa servavit: *Actaeon* 87 *aedon* 54 *chelidon* 35. mutavit: *Apollo* 80.

---

[1]) Neue I^3 pag. 235 sqq. Sniehotta l. c. pag. 17. Zwiener l. c. pag. 46 sq.

Tiberianus scripsit: *Phlegethon* II 26. Apud Porfyrium ubique Graecam terminationem servatam invenimus: *Endymion* $28_{,22,24}$ *Helicon* $4_{,3}$ $19_{,7}$ *Hyperion* $11_{,10}$ *Rubicon* $19_{,15}$.

Avienus uno nomine *Apollo* (Arat. 622. descr. 6) excepto ubique exitu —ων usus est. Scripsit enim in Arateis: *Charon* 211 *Helicon* 76 *Meton* 1370. 1373 *Orion* 687. 721. 748. 1100. 1193 *procyon* 902. 1112. 1254; in descr. orb. terr.: *Babylon* 1196 *Calchedon* 972 *Croton* 517 *Hammon* 316 *Helicon* 818 *Ladon* 575 *Memnon* 368 *Python* 601 *Thermodon* 950; in ora maritima: *Cleon* 48 *Euctemon* 47. 337. 350.

Similiter Ausonius haec nomina tractavit. Graece enim terminavit in comm. prof. Burdig.: *Solon* $23_{,10}$; in epitaph.: *Arion* $32_{,9}$ *Sarpedon* $17_{,1}$; in ludo sept. sap.: *Chilon* 130. 136 *Solon* 72. 73. 82, in cap. praeterea: *Chilon Solon*; in gripho: *Citheron* 32 (⏑——, quasi esset Graece Κιθερών, non Κιθαιρών cf. Meurer l. l. pag. 11); in epistulis: *Automedon* $14_{,10}$ *Damon* $25_{,39}$ $25_{,65}$ *Phaenon* $7_{,2\cdot 11}$ *Philon* $22_{,2\cdot 1}$ *Sigalion* $24_{,27}$ *Theon* $4_{,103}$ $5_{,20}$ $6_{,5}$ *trygon* $4_{,60}$; in epigrammatis: *Alcon* $69_{,3}$ $70_{,1}$ *Myron* $16_{,1}$ $16_{,5}$ $57_{,4}$ *Polygiton* $107_{,18}$ *tribon* $49_{,1}$ Χείρων $77_{,1}$; in carm. didact. de aetate animant. (XXXII): *Phoenon Stilbon* 11; in carm. d. ambig. vit. (XXIX): *Timon* 34; in epigr., quae sub Ausoni nomine feruntur: *Iason* $22_{,5}$ *Phaethon* $20_{,6}$; in carm. de sept. sap. *Lacedaemon* 3 *Solon* 7, bis in capitibus: *Chilon Solon*[1]); in carm. d. sign. cael.: *Chiron* 11 *Orion* 10 *Procyon* 10. Terminationem *—on* correptam invenimus in libro protreptico: *Chiron* 20.

Latina terminatione Ausonius usus est in ephem. carm. I: *Parmeno* 4 et 20; in eclog.: *Leo* $9_{,8}$ $17_{,6}$; in comm. prof. Burd.: *Draco* $23_{,10}$; in Mosella: *Philo* 303; in ludo sept. sap.: *Dromo* 209; in epistulis: *Apollo* $4_{,8}$ *Phormio* $22.2_{,10}$; in carm. didact. de viro bono: *Apollo* 2; in Pseudoausonianis quoque inveniuntur: in carm. de sept. sap. *Chilo* 3. in carm. de sign. cael. *Leo* 7. in Sulpicia: *Apollo* 70.

---

[1]) Eadem nomina in carmine ab Hygino in CCXXI fabula laudato inveniuntur.

Claudianus praeter nomen *Apollinis* (Hon. VI 25. c. m. $3_{,4}$) Latine terminavit: *Leo* (Eutr. II 377. 440. 453. 559 Stil. II 460), *Macedo* (Stil. III 165; Poll. 180). Ceteris nominibus Graecam terminationem —ων dedit. Inveniuntur in paneg. dicto Prob. et Olybr. coss.: *Orion* 28; in libr. in Ruf.: *Phaeton* II 211 *Phlegethon* II 467 *Python* praef. I 1 *Sciron* I 253; in libris in Eutrop.: *Amazon* I 240 *Hammon* I 180; in libr. de bello Gildonico: *Orion* 498. in epith. n. Hon.: *Chiron* praef. 5 *Palaemon* 156 *Triton* 137 180; in paneg. d. 3. cons. Hon.: *Orion* 171 *Pyragmon* 195; in paneg. de 4. cons. Hon.: *Aethon* 561 *Arion* 555 *Cydon* 530 *Hammon* 143 *Lacedaemon* 508 *Palaemon* 465 *Python* 537; in paneg. d. Manl. Theod.: *Arion* 284 *Helicon* 272; in libr. de cons. Stilich.: *Hammon* I 255 *Ladon* I 185. III 260 *Memnon* I 265. 268 *Nasamon* I 354 *Orion* I 287 *Triton* I 252; in paneg. de 6. cons. Hon.: *Phaeton* 166. 187 *Rubicon* 365 *Triton* 378; in carminibus min.: *Aeethon* $25_{,140}$ *Calydon* $30_{,172}$ *Echion* $33_{,104}$ *Phlegethon* $26_{,72}$ *Porphyrion* (codd. fluctuant inter —*on* et —*o*) $53_{,115}$ *Triton* $30_{,127}$; in libr. de raptu Proserp.: *Acheron* I 87,227 *Aegaeon* I 46 *Aethon* I 284 *Helicon* II 134 *Ixion* II 337 *Ophion* III 348 *Orion* II 191 *Phaeton* III 403 *Phlegethon* I 24. II 315 *Pyragmon* I 240.

In carminibus Pseudoclaudianeis legimus: *Arion* $4_{,5}$.

Iuvencus versibus haec nomina per —ων terminata inseruit: *daemon* I 408. II 419. 614. 713. 778. III 8. 37. *Simeon* I 190 *Simon* III 120. Apud Commodianum invenimus in instr. libr. I: *Babylon* $41_{,12}$ *Pyragmon*[1]) $5_{,4}$ *Salomon* $37_{,1}$, in carmine apologetico: *Apollyon* [*Apolion* MP^{1}v] 811 *Salomon* 271. 481. 510. 497. 562 *agon* 609; praeterea semel nomen *Apollo* invenitur (instr. I 11 tit.).

In summa igitur inveniuntur 165 nominativi in —ων exeuntes, 36 in —*o* mutati, atque servatum Graecum exitum invenimus

apud	Hadrianum	in 47	vers.	5 ies	i. e. semel	in	9enis	versibus,
=	Vespam	= 99	=	ter	=	=	= 33 =	=
=	Sulpicium	= 78	=	semel	=	=	= 78 =	=

[1]) Sic scribo cum codd., nam et Claudiani codd. ita habent (Hon. III 195, rapt. Pros. I 240) et Vergili VIII 425 (cf. Norden ad Aen. VI pag. 126).

in	Perv. Vener.	in	93	vers.	semel	i. e.	semel	in	93enis		versibus
=	Ps. Auson.	=	440	=	7 ies	=	=	=	63	=	=
apud	Pentadium	=	78	=	semel	=	=	=	78	=	=
=	Tiberianum	=	92	=	semel	=	=	=	92	=	=
=	Porfyrium	=	819	=	6 ies	=	=	=	136	=	=
=	Ausonium	=	5294	=	31 ies	=	=	=	171	=	=
=	Avienum	=	4615	=	25 ies	=	=	=	185	=	=
=	Claudianum	=	9859	=	53 ies	=	=	=	186	=	=
=	Iuvencum	=	3217	=	9 ies	=	=	=	357	=	=
in	Ps. Claudian.	=	372	=	semel	=	=	=	372	=	=
apud	Sammonicum	=	1107	=	bis	=	=	=	554	=	=
=	Terentianum	=	2721	=	ter	=	=	=	907	=	=
=	Commodian.	=	2313	=	10 ies	=	=	=	231	=	=

Contra exitus —ων mutatur in —*o*

apud	Hadrianum	in	47	vers.	quater	i. e.	semel	in	12enis		versibus
=	Florum	=	34	=	semel	=	=	=	34	=	=
=	Vespam	=	99	=	semel	=	=	=	99	=	=
=	Nemesianum	=	672	=	5 ies	=	=	=	134	=	=
in	Ps. Auson.	=	440	=	ter	=	=	=	147	=	
apud	Ausonium	=	5294	=	10 ies	=	=	=	529	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	9 ies	=	=	=	1094	=	=
=	Avienum	=	4615	=	bis	=	=	=	2308	=	=
=	Terentianum	=	2721	=	semel	=	=	=	2721	=	=

i. e. nominativi in —ων exeuntes apud Sulpicium, Sammonicum, in Perv. Veneris, apud Pentadium, Tiberianum, Porfyrium, in Ps. Claudianeis, apud Iuvencum, Commodianum exitum —ων servant omnes, sed apud reliquos poetas varie res se habet, ita ut e denis nominativis

apud	Avienum	9,3	servent,	0,7	mutent,
=	Claudianum	8,6	=	1,4	=
=	Ausonium	7,6	=	2,4	=
=	Terentianum	7,5	=	2,5	=
=	Vespam	7,5	=	2,5	=
in	Ps. Auson.	7,0	=	3,0	=
apud	Hadrianum	5,5	=	4,5	=
=	Nemesianum	5,5	=	4,5	=
=	Florum	10,0	servent.		

7. Nomina quorum nominativus Graecus in —υς desinit ubique fere hanc terminationem servant[1]).

Terminationem —*us* unum tantum nomen praebet quod exstat apud Terentianum Maurum: *tribrachus* 1668. 2053.

At servatam terminationem —*ys* invenimus apud Terentianum Maurum: *dibrachys* 1538. 1955 *tribrachys* 1466. 1905. 1907. 2212. 2443. 2895. 2898; apud Nemesianum in cyn. 91:

[1]) Sniehotta l. c. pag. 16. Zwiener l. c. pag. 51.

chlamys: apud Porfyrium: *chelys* 16,8; apud Avienum in Arateis: *chelys* 618. 632 *Tiphys* 345; in descr. orb. terr.: *Halys* 859 *Tethys* 891. 898; apud Ausonium in epigr.: ΙΤΥΣ (bis) 77,1; apud Claudianum in libr. in Rufin.: *Halys* II 32 *Rhadamanthys* II 480 *Tethys* I 132 II 148; in libr. in Eutrop.: *Halys* I 434 *Tethys* I 392; in paneg. de nupt. Hon.: *Othrys* praef. 22; in paneg. de 3. cons. Hon.: *chelys* praef. 18 *Halys* 70; in paneg. d. M'. Theod.: *chelys* 324 *Tethys* 50; in paneg. de cons. Stilich.: *Tethys* II 252; in paneg. de 6. cons. Hon.: *chelys* 123; in libr. de b. Poll.: *Erinys* 173 *Tethys* *Tiphys* 4; in libr. de rapt. Proserp.: *Erinys* I 226 *Tethys* II praef. 45. II 46; in carm. min.: *Halys* 48,6.

In summa terminationem —ος 40 locis servatam, bis mutatam invenimus. Atque servatur nominativi exitus Graecus

apud	Terentianum	in 2721	vers.	9 ies	i. e.	semel	in 302enis	versibus,
=	Claudianum	= 9850	=	21 ies	=	=	= 469	=
=	Nemesianum	= 672	=	semel	=	=	= 672	=
=	Avienum	= 4615	=	6 ies	=	=	= 769	=
=	Porfyrium	= 819	=	semel	=	=	= 819	=
=	Ausonium	= 5294	=	bis	=	=	= 2647	=

Apud Commodianum bis nomen martyr (μάρτυρ) invenitur: instr. II 6,3; 21,14.

8. Nomina neutrius generis in —ος exeuntia semper hanc terminationem servant praeter nomen *pelagus*, quod ubique exitum —*us* praebet[1]).

Huius generis nomina inveniuntur apud Avienum in Arat. 770: *cetos*[2]); apud Ausonium in ephem. 3,15: *chaos*; apud Claudianum idem nomen in libri de bello Gildon. versu 383 invenitur.

9. Cetera quae inveniuntur nomina tertiam declinationem sequentia Graecam formam ubique servant[3]).

Atque in —ους unum exit nomen quod exstat apud Claudianum: *Melampus* Eutr. I 315.

---

[1]) Sniehotta l. c. pag. 16. Zwiener l. c. pag. 53.

[2]) Gr. κῆτος τό; lat. *cetus, i* masc. et *cetos, is* neutr. graeca positione; v. Thes. l. l. et Daigl l. c. pag. 8.

[3]) Sniehotta l. c. pag. 15 sq. Zwiener l. c. pag. 53 sq.

In —ως desinunt haec nomina: apud Hadrianum: *heros* PLM IV 123,5, idem nomen in Sulpicii versu 53 et Terentiani versu 2165; apud Ausonium in comm. prof. Burdig.: *Minos* 23,12; in epigr.: *dyseros* 95,1 [1]); ΕΡΩΣ 77,1; in techn.: *Cos* 11,6 *Tros* 9,19; in append. Ausonian.: *heros* perioch. Odyss. 9,1; apud Claudianum in libr. in Rufin.: *Athos* I 336 *heros* I 114; II 477; in libr. in Eutrop.: *Athos* II 162; idem nomen in paneg. de 4. cons. Hon. 475; in libr. de b. Poll. 177; in carm. min. 53,68.

In —ω excurrunt apud Modestinum: *Dido* 8; apud Hosidium Getam: *Allecto* 345. 354; apud Terentianum: *Sappho* 659. 2148. 2160. 2548; apud Nemesianum: *Deo* eclog. II 51; *Echo* I 73 cyn. 96; in carm. quod inscr. Celeuma: *echo* 1. [5. 9. 13.]; apud Pentadium: *Echo* 344,13; apud Porfyrium: *Clio* 7,14. 9,25. 18,20. 22,6. 22b 1; apud Avienum: *Argo* Arat. 756. 765. 982. 1196. 1247. 1250 descr. 253 *Callisto* Arat. 254 *Celaeno* Arat. 580 (cf. Reuter l. c. pag. 14); apud Ausonium in parent.: *Theano* 32,5; in Mosella: *echo* 297; in epist.: *echo* 10,23 *Sappho* 4,91; in epigr.: *echo* 10,7 *Echo* 102,1 *Sappho* 33,1; in carmine Pseudoausoniano de sign. cael. *Argo*; in carm. Catonis de musis quod sub nomine Ausoni fertur: *Clio* 4 *Erato* 6; in epigr.: *Dido* 2,1; apud Claudianum in libr. in Rufin.: *Allecto* I 26; in libr. in Eutrop.: *Celaeno* II 378 *Enyo* I 238; in epith. Hon.: *Sappho* 235 *Doto* 169; in paneg. d. M'. Theod.: *Erato* 283; in paneg. de cons. Stil.: *Thero* III 250 et 390; in paneg. de 6. Hon.: *Echo* 33. 617; in libr. de b. Poll.: *Argo* 2; in carm. min.: *Calypso* 30,24 *Echo* 25,49.

In summa terminatio —ω 53 locis exstat, 50 ies in hexametro, bis in sapphico versu, atque potissimum in fine versus (30 ies), semel —ω exitus ante vocalem insequentem eliditur (Geta 345), semel exstat in tetrametri trochaici thesi secunda, ceteris locis longa terminatio metro postulatur [2]). Pro numero versuum numerati nominativi in —ω exeuntes inveniuntur

apud poet. Celeumatis	in 16	vers. 4,	i. e. semel	in	4enis	versibus,
„ Modestinum	„ 11	„ 1	„	„	„ 11	„
„ Pentadium	„ 78	„ 1	„	„	„ 78	„

[1]) Eodem nomine epigr. 94 inscribitur et in cod. Vossiano 111 etiam epigr. 95, cett. codd. et editt. praebent: *item*.

[2]) Cf. L. Mueller, De re metr.[2] pag. 418.

in	Ps. Auson.	in	440	vers.	4,	i. e.	semel	in	110	enis	versibus,
apud	Porfyrium	=	819	=	5	=	=	=	164	=	=
=	Nemesianum	=	672	=	3	=	=	=	224	=	=
=	Getam	=	461	=	2	=	=	=	230	=	=
=	Avienum	=	4615	=	9	=	=	=	513	=	=
=	Terentianum	=	2721	=	4	=	=	=	680	=	=
=	Ausonium	=	5294	=	7	=	=	=	756	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	13	=	=	=	758	=	=

Nomina per —ης genetivo in —ους exeunte terminata inveniuntur his locis apud Hadrianum PLM IV: *Borysthenes* 126,1; apud Terentianum: *Diogenes* 2364 *heptameres* 1957 *Socrates* 2363. 2362; apud Ausonium: *Diogenes* XII 2,12; epitaph. 29.2,3; 7,1; epigr. 50,2, *penthemimeres* epist. 4,89; apud Claudianum: *Hippomenes* c. m. 30,169.

Praeterea inveniuntur nomina nonnulla in —α exeuntia: apud Terentianum: *comma* 2811. 2896. 1736. 1739; apud Ausonium: *aenigma* epigr. 39 tit. *stemma* prof. 17,7. 23,5: apud Claudianum: *diadema* n. Hon. 259 — et haec nomina indeclinabilia syllabarum apud Terentianum: *alpha* 255 *beta* 255 *gamma* 255 *zeta* (edit. pr. .ζ.) 921 *sigma* 927; apud Ausonium in technop. carm. XII: *eta* 3 *zeta* 11 *iota* 23 *cappa* 26; (*rho* 17 et in carm. XIII: *tau* 6).

10. De nominativi pluralis formis.

Nominativus pluralis nominum secundam sequentium declinationem ubique fere Latine flectitur: *Argaei* — *anapaesti*, Graece haec tantum nomina terminantur: *Soloe* Avien. descr. orb. terr. 1040, *arctoe* de sign. cael. PLM V pag. 351 [ita Baehrensius, *arctoae* G *arctoi* C *arton* V].

Etiam nominativi nominum primam sequentium declinationem ubique Latine flectuntur: *Thermopylae periochae planetae*.

Nominativi plurales neutrius generis et Graece et Latine in —*a* exeunt: *monosticha orgia* — *commata*.

Nominativi qui Graece exeunt in —ες et hanc correptam et Latinam productam terminationem —*es* praebent[1]).

---

[1]) Neue I^3 pag. 482. Sniehotta l. c. pag. 18 sq. Bednara l. c. pag. 47. Zwiener l. c. pag. 56 sqq.

Omnino 122 locis nominativi plurales tertiae declinationis inveniuntur, quorum 47 Graece flectuntur.

Atque invenimus apud Terentianum Maurum unum eiusmodi nomen in fine versus: *Iones* 2878, unum in positione: *Troes* 1930; apud Getam exitus —*es* in arsi ante vocalem insequentem positus est i. v. 10: *Syrtes*; Vespa quoque terminationem —*es* in arsi, sed ante consonantem insequentem posuit i. v. 45: *Panes*: eodem modo Nemesianus in cynegeticis nomina *Dryades* et *Naiades* versibus 95 et 94 inseruit; neque aliter Porfyrius: *Aethiopes* V 14. XIX 23 *Aonides* III 21 et Pentadius PLM IV 343,10: *Phryges*; Sulpicius nominativum *Cyclopes* in fine versus 22 posuit.

Avienus[1]) servavit Graecum exitum his locis in Arat.: *Aones* 497 *Atlantides* 604 *Phaetontides* 793; in descr. orb. terr.: *Arcades* 574 *Cyclades* 704 *Echinades* 595 *Iapyges* 526 *Ionides* 712 *Libyrnides* 658 *Maenades* 1366; in ora maritima: *Bebryces* 486 *Ceretes* 550 *Gymnetes* 464 *Ileates* 302. In fine versus posuit in descr. orb. terr.: *Bechires* 945 *Seres* 934 *Syrtes* 158 *Thraces* 463. 467; in ora maritima: *Oestrymnides* 96. Incertum exitum praebet nomen: *Ligyes* ora marit. 613, cum in trimetri quinta thesi ante vocalem insequentem positum sit; bis Avienus exitum —*es* in arsi ante vocalem insequentem posuit: *Hesperides* descr. orb. terr. 739 *Salyes* ora marit. 701, ceteris omnibus locis nominativi exitus —*es* ante consonantem insequentem positus est aut in thesi: *Nigretes* descr. orb. terr. 322; aut in arsi in Arat.: *Pleiades* 568; in descr. orb. terr.: *Aeolides* 623 *Aethiopes* 273 *Bistonides* 756 *Blemyes* 329 *Chalybes* 947 *Macrones Phylires* 946 *Seres* 936 *Sporades* 710; in ora marit.: *Ausoceretes* 550 *Libyphoenices* 421 *Phoenices* 459.

Ausonius Graecum exitum servavit in gripho: *Erinyes* 84 *Gorgones* 84 *Siredones* 20; in Cup. cruciat.: *heroides* 3 et 95; in perioch. Iliad. quae falso Ausonio adscribuntur semel nominativus: *Troes* 16,2 Graece flectitur. In fine versus Ausonius haec nomina posuit in epist.: *Geryones* (—*duo Geryones*—) 18,16 *Lacones* 24,36; in epigr.: *Naides*

[1]) Reuter l. c. pag. 11.

99,1; eodem loco auctor perioch. Iliad. nominativum: *Troes* III 3 posuit; nominativi: *Lacones* (lud. 137) exitus ante vocalem insequentem in trimetri quinta thesi exstat; locis qui restant, nihil de quantitate terminationis diiudicare potes, quoniam ubique ante consonantes posita est: in gripho: *Charites* 99 *Geryones* 82 *tripodes* 74; in Mosella: *Pierides* 397; in carm. XXXII: *Hamadryades* 8; in epist.: *Geryones* 7,2,6; in epigr. pseudoauson.: *Charites* 13,1.

Apud Claudianum[1]) Graecus exitus servatur Prob. 249: *Naides* [*Naiades totum* LBT, *naiades et* Ieepius]; Ruf.: *Maenades* II 419; Eutr.: *dipsades* II 285 *Maenades* II 543 *Maeones* II 245 *Corybantes* II 285 *Thraces* II 247 *Tritones* II praef. 67; Gild.: *dipsades* 151; n. Hon.: *crateres* 197 *Nereides* 159; Hon. IV: *Maenades* 609 *Orcades* 32 *Seres* 258; Stil.: *lynces* III 359 *Persides* I 57; Poll.: *Symplegades* 9 *Thraces* 165; carm. min.: *grypes* 31,8 *Nereides* 30,8; rapt. Proserp.: *Acheloides* I 254 *Naides* II 56 III 17 *Titanes* III 182. In fine versus posuit Prob.: *Seres* 179; Eutr.: *Seres* II 244; Gild.: *Lacones* 222 *Lenoes* 423; Hon.: *Lacones* IV 206 *Seres* III 211; Fesc.: *Naides* I 24; Stil.: *Syrtes* I 257; carm. min.: *lynces* 31,7; rapt. Pros.: *Syrtes* III 446. Ceteris 18 locis nominativi exitus in arsi ante consonantem positus est: Ruf.: *Pierides* I 24: Eutr.: *Cilices* II 20 *Arabes* I 226 *Phryges* II 244 *Thessalides* II 201; Gild.: *Inachides* 407; n. Hon.: *Nereides* 283; Hon. III: *Arabes* 71; Hon. IV: *Phoenices Seres* 601; Stilich: *Autololes* I 356; Hon. VI; *Hyades* 173; carm. min.: *chlamydes* 17,15 *Honoriades* 30,131 *Pierides* 31,61; rapt. Proserp.: *Dryades* III 78 *Eumenides* II 216. 344.

Commodianus ter Graecam formam praebet: *aspides* instr. II 9,19 *martyres* 1,19. 21,8; semel exitum in thesi posuit: *Gigántes náti ferúntur* instr. I 3,8.

In summa nominativum pluralem in *–es* exeuntem invenimus

apud	Sulpicium	in	78	vers.	semel	i. e.	semel	in	78	enis	versibus
=	Pentadium	=	78	=	semel	=	=	=	78	=	=
=	Vespam	=	99	=	semel	=	=	=	99	=	=
=	Avienum	=	4615	=	37 ies	=	=	=	124	=	=
in	Ps. Auson.	=	440	=	ter	=	=	=	147	=	=
apud	Claudianum	=	9850	=	52 ies	=	=	=	191	=	=

[1]) Birtius praefat. pag. CCXXII. Welzel l. c. pag. 88.

apud	Porfyrium	in 819	vers.	ter	semel	i. e.	in	273	enis	versibus
=	Nemesianum	= 672	=	bis	=	=	=	336	=	=
=	Ausonium	= 5294	=	18 ies	=	=	=	353	=	=
=	Getam	= 461	=	semel	=	=	=	461	=	=
=	Terentianum	= 2721	=	bis	=	=	=	1360	=	=

E denis praebent exitum —ες 3,9; exitum —*es* ante vocalem 0,2; incertum exitum ante vocalem 0,2; —*es* in fine 1,8; ceteri exstant ante consonantem insequentem; atque servant e denis nominativis exitum Graecum apud Terentianum, Vespam, Nemesianum, Getam Pentadium, Sulpicum, Porfyrium nulli, apud Ausonium 3,3, apud Avienum 3,8, apud Claudianum 4,6, apud Commodianum 7,5 nominativi.

§ 2. De vocativi formis.

1. Vocativus nominum secundam sequentium declinationem semper Latinum exitum —*e* praebet: *Delie* — *Christe*, nomina per —*ius* terminata vocativum praebent in —*i* exeuntem: *Syagri Staphyli* (Auson. XVI 21,4).

2. Vocativus nominum in —*as* vel —*es* exeuntium et Graece et Latine flectitur, atque nomina, quorum nominativus exit in —*es*, vocativi Graecam terminationem —*e* servant. Invenimus hos duos vocativos apud Ausonium *Aeacidē* epigr. 1,16 *Maenalydē* techn. 7,8.

Nomina, quorum nominativus in —*as* exit, vocativi terminationem —*a* praebent; nonnullis quidem locis utrum poeta Latinam terminationem —*ă* an Graecam —*ā* adhibere voluerit, discernere non possumus, quia vocativus aut in fine versus (*Iolla* Nemes. ecl. IV 20 *Timeta* ibid. I 9) aut in synaloepha exstat (*Pythagora* Auson. epigr. 65,1).

Graecam terminationem —*ā* servat Claudianus: *Eurota* Prob. 237.

Latinam terminationem —*ă* invenimus apud Apuleium (FPR) frg. 7: *Critia*; et apud Ausonium: *Sosia* ephem. 6,1: *Glaucia* epitaph. 35,2.

3. Nomina primam sequentia declinationem, quae in —*a* exeunt vocativum ubique Latine flectunt. Eiusmodi vocativos invenimus in Pervigilio Veneris: *Hybla* 51 et 52; apud Sulpicium: *Troia* 6; apud Porfyrium: *Thalia* I 2; apud Lactantium: *Panachaea* 88; apud Ausonium: *Hiberia* epist. 24,53; apud Claudianum: *Ancyra*

Eutr. II 28; *Thalia* Manl. praef. 2; et adiectiva apud Ausonium: *Tritonia* epigr. 1,1; apud Claudianum: *Cytherea* rapt. Pros. I 216 *Parnasia* Prob. 71 *Tritonia* rapt. Pros. III 286.

4. Vocativi nominum in —η exeuntium plerumque Graece terminantur, tres tantum Latinum exitum praebent: *Alcmena* (append. Claudian. II 48), *Philomela* (Nemesian. cyn. 34), *Thessalonica* (Claudian. Ruf. II 280); ceteri Graecum exitum servant, atque invenimus vocativos in —η exeuntes apud Septimium Serenum: *Panope* FPR 384,19; apud Nemesianum: *Donace* eclog. II 37. 69. 85; apud Porfyrium: *Calliope* 10,1 *Cybele* 27,9; apud Avienum in descr. orb. terr.: *Calliope* 1305; apud Ausonium in epist.: *Hippocrene* 21.2,8; in epigr.: *Dione* 83,1 *Meroe* 19,1,9; apud Claudianum: *Calliope* (Manl. 288; c. m. 30,1) *Cyane* (rapt. Pros. III 190) *Leontodame* (Stil. III 304).

5. Vocativi nominum tertiae declinationis in —*is* exeuntium terminationem —*i* praebent: *Castali* (Porfyrius 5,21), *Cypri* (app. Auson. epigr. 8,5), *Isi* (app. Claudian. 11,1), *Thybri* (Claudian. rapt. Proserp. II 178); praeterea invenitur apud Pentadium: *Cnosis* PLM IV 343,23.

6. Vocativus nominum in —ευς exeuntium Graecam terminationem servat: *Orpheu* (Vesp. 89), *Thyoneu* (app. Claudian. 6,3).

7. Vocativus nominum in —ων exeuntium nominativum sequitur. Inveniuntur enim Graece terminati hi vocativi: apud Ausonium in ludo sept. sap. *Chilon* 55 *Solon* 112 (bis); epist.: *Theon* 4,94. 6,1. 7.2,3; apud Claudianum: *Porphyrion* carm. min. 53,35; apud Iuvencum: *Simon* III 391; Latine terminatur vocativus *Apollo* (Nemesian. eclog. II 55).

8. Vocativi nominum in —ω exeuntium hunc exitum servant: *Clio* (Claudian. Theod. 291) *Dido* (app. Auson. epigr. 36,1).

9. Praeterea inveniuntur duo nominum in —ης (gen. ους) exeuntium vocativi in —*e* exeuntes: *Praxitele* Auson. epigr. 55,2 et qui —*e* correptam exhibet *Palamede* (Nemesian. de aucup. 15).

10. Vocativi in *—or* exeuntes exitum non mutant: *rhetor* Auson. prof. 7,5; 21,7.

11. Vocativi plurales nominativum sequuntur. Semel exitus Graecus —ες metro postulatur: *Nāĭădĕs* [1]) Nemesian. eclog. II 21, ceteris locis exitus *—es* in arsi atque positione exstat. Invenimus hos vocativos: apud Reposianum: *Bybliades* 90; apud Porfyrium: *Castalides* 9,1; apud Avienum: *Pierides* descr. 3; apud Claudianum: *Pierides* Ruf. I 24; apud Commodianum ante vocalem insequentem *mysteriúm Christí | Zaconés, exércite cáste* instr. II 27,1 (cf. Hanssen l. c. pag. 64).

§ 3. **De accusativi formis.**

1. Nomina, quorum nominativus Graecus in —ος vel —ον exit, saepius Graecam terminationem servant. Ita Hadrianus scripsit: *Clonon Oebalon* PLM IV 123,2.3; Sulpicius Apollinaris servavit accusativum: *Euandron* 51; mutavit: *Oceanum* 7; Geta mutavit: *Phoebum* 138.

Terentianus Maurus Graece flexit: *anapaeston* 2835. 2874 *chorion* 1874. 2152 *digammon* 645. 648. 794 *diiambon* 1493 *dipthongon* 416. 446. 453. 499. 502. 515. 766 *disyllabon* 2150 *epitriton* 1560 *miuron* 1925. 1933 *Patroclon* 272 *phosphoron* 847.

Nonnulla nomina et Graece et Latine flexit: *Archilochon* 2245 — *Archilochum* 1807 — *dactylon* 1072. 1132. 1134. 1152. 1158. 1622. 1860. 1941. 2153. 2524. 2835 — *dactylum* 590. 1406. 1448 1619. 1629. 1690. 1692. 2250. 2413. 2442 — *dimetron* 2968 — *dimetrum* 2960. 2973. 2978 — *hexametron* 1644. 2570 — *hexametrum* 1849. 2746. 2830 — *iambon* 1875. 2568 — *iambum* 1388. 1390. 1544. 1553. 2234. 2257. 2286. 2401. 2480. 2762. 2947. — παρίαμβον 1369 — *pariambum* 1501. 2009. 2041 — *pariambon* 1467. 1535. 2876 — *spondeon* 1036. 1049. 1216. 1501. 1833. 1860. 1940. 2019. 2041. 2201. 2231. 2249. 2321. 2327. 2343. 2409. 2552. 2567 — *spondion* 509 — *spondeum* 1061. 1097. 1153. 1221. 1274. 1620. 1747. 1755. 1769. 1954. 1956. 2151. 2558. 2625. 2835

[1]) Haec syllabae *Naj-* per unam syllabam pronuntiatio a lingua Graeca abhorret.

— *trochaeon* 2567 — *trochaeum* 1092. 1106. 1131. 1389. 1390. 1442. 1446. 1494. 1535. 1541. 1555. 1559. 1691. 1695. 1899. 1717. 1874. 1956. 2291. 2317. 2327. 2385. 2634. 2825.

Latinum exitum ubique dedit his nominibus: *Aristaeum Branchum Callinoum Gnidum Hesperum Pamphilum Stesichorum Xanthum Xuthum antibacchum epodum hendecasyllabum hymnum molossum pentametrum rhythmum trimetrum rhamnum thymum.*

Serenus Sammonicus Graece flexit: *chamaecisson* 792 *elelisphagon* 469 *hyoscyamon* 364; sed idem nomen Latine flexit: *hyoscyamum* 712. 1072; praeterea: *Epidaurum* 5.

Nemesianus servavit accusativum: *cantharon* (ecl. III 48); mutavit: *Cycnum.*

Latine flexos accusativos invenimus in Verbis Achillis: *Pyrrhum*; apud Vespam: *sycotum*; apud Pentadium: *Phrixum*; apud Porfyrium: *myseum Phoebum*; apud Tiberianum: *Polydorum.*

Avienus, accusativi Graecam terminationem in uno tantum nomine admisit: *arcton* (Arat. 138. 149. 200. 358. 772. descr. 835).

Reliquis Latinam terminationem dedit: *Accium* [*Accion quae* codd.; *Accion atque* Schrader contra metrum] ora marit. 683; *Aegyptum arctum* (II 1804) *Bacchum Centaurum delphinum* (II 1260; cf. pag. 12 et 27) *Delum Erebum Eridanum Erimanthum Euxinum Hellespontum Haemum Hippolytum Histrum Ilissum Indum lembum Libanum Lyaeum Nilum Oceanum Olympum ophiuchum Peparethum Phoebum Polygium Sardum Tartessum Taurum Tenedum.*

Ausonius Graeca accusativi terminatione his locis usus est: *choriambon* epist. 4,93 *Dionyson* epigr. 30,4 *Triptolemon* epist. 22,2,46.

Latine flexit: *Aglaum androgygnum Bacchum Caranum Christum Croesum dactylum Delium Eunomum Euphemum Eurypylum Hermaphroditum Hippothoum Histrum Lyaeum Maeandrum Oceanum Olympum Parthum Phoebum Pittacum Seleucum threnum Timomachum Tithonum.*

Claudianus Graeca terminatione his locis usus est: *Aponon* c. m. 26,90 *Arcton* Prob. 22; Gild. 511; Poll. 245. 329

rapt. Pros. II 63 *barbiton* n. Hon. pr. 10 *ceston* n. Hon. 124 *Cocyton* rapt. Pros. II 353 *Delon* ibid. I 136; c. m. 53,115 *Rhoeton* n. Hon. pr. 13 *Tityon* c. m. 53,25.

Ceteris omnibus locis mutavit Claudianus terminationem accusativi. Atque haec nomina a Claudiano Latine terminata adhibentur: *Aegyptum Alethium Arcadium Balium conum Corinthum Croesum Darium Cyprum Cyrnum*[1]) *Enceladum Epirum Erebum Eutropium Eurum Garganum Gennadium Glaucum Haemum Hebrum Hermum Histrum hydrum Iacobum Indum Narcissum Hymenaeum Nilum Notum Oceanum Olybrium Olympum Palladium Parthum Pelorum Perithoum Pergum Petrum Philippum Pholum Pontum Porum Probum Pyrenaeum Pyrrhum Rhesum Sangarium Sirium Tarbigilum Taurum Theudosium Thymum Xanthum Zephyrum.*

Iuvencus et Commodianus accusativum ubique Latine flexerunt. Inveniuntur apud Iuvencum: *Aegyptum Christum Iacobum Matthaeum Petrum Philippum Tyrum Zebedaeum — Iesum;* apud Commodianum: *Christum Paulum Petrum Tyrum — Lazarum.* —

Adiectiva duobus exceptis (*bucolicon* Terentian. 2126 *tetracolon* 2702) ubique Latine flectuntur. Invenimus apud Terentianum: *Argivum heroum iambicum trisyllabum;* apud Avienum: *Assyrium eoum Hesperium Nysaeum Pharium Phrygium;* apud Ausonium: *Ascraeum Atticum Berytium Christianum metricum Pellaeum Platonicum stoicum Tyrrhenum;* apud Claudianum: *Ausonium Cleonaeum castoreum Elysium Emathium Haemonium Hyblaeum Ithacum Lycaeum Maenalium Minoum Odrysium Paeonium Parthenium Sabaeum.*

Accusativi neutrius generis et Graece et Latine flectuntur.

Terentianus: Graece flexit: *colon* 2158 *stoechion* 1168 *metron* 1512. 1884. 2072. 2219. 2504. 2866. 2878; sed Latine: *metrum* 853. 1091. 1100. 1631. 1632. 1509. 1841. 1862. 1872. 2058. 2794. 2850. 2954; Lactantius servavit:

[1]) Lectionem hoc loco corrupto Icepii secutus sum, Birtius scripsit *Cyrnon*; codd. praebent: *cirnū* (corr. in *smirnā*) Vaticanus 2808, *sirinū* Parisinus 18,552, *syniruum* Parisinus 8083, *cyrnon* excerpta Gyraldina. Manl. Theod. 203.

cinnamon [codd. fluctuant inter —*on* et —*um*] 83; Avienus: *deltoton* Arat. 528; Claudianus: *Pelion* Hon. III 115 VI 108 Stil. I 12 Poll. 74; in appendice Claudianea legimus: *Hippocrenaeon* [codd. fluctuant inter —*on* et —*um*] II 5. Latine tantum flexerunt Ausonius: *chalcidicum Chium monostichium;* Commodianus: *blasphemium deuteronomium.* Adiectiva neutrius generis plerumque Latinum exitum praebent. Graece flexit Terentianus: *arcticon* 1168 *catalecticon* 1829 *ithyphallicon* 1840 *Phalaecion* 1884 *Sotadicon* 1509 *choriambicon* 2619 (Latine 2714) *heroicon* 1649 (Latine 1704) *Sapphicon* 2547 (Latine 2943); praeterea Latine: *Aeolicum bacchiacum dactylicum trochaeicum*; Avienus Latine flexit: *Aegaeum Atlanticum coeaneum eoum Hyrcanum Indicum Pyrenaeum Tyrrhenum;* Ausonius: *Achaeum Arcadicum Ausonium choriambicum Cimmerium Demosthenicum Erymantheum Libycum*; Claudianus: *Auchenium eoum Icarium Idalium Illyricum Ionium Libycum Pellaeum Scythicum Tyrrhenicum;* Commodianus: *Christianum paralyticum.*

In summa 491 locis invenimus accusativum exeuntem in —*um*, 119 locis exeuntem in —*on* atque servatum Graecum exitum videmus

apud	Hadrianum	in	47	vers.	quater	i. e.	semel	in	12	enis	versibus,
=	Terentianum	=	2721	=	81 ies	=	=	=	33	=	=
=	Sulpicium	=	87	=	semel	=	=	=	78	=	=
=	Lactantium	=	170	=	semel	=	=	=	170	=	=
=	Sammonicum	=	1107	=	ter	=	=	=	369	=	=
in	Ps. Claudian.	=	372	=	semel	=	=	=	372	=	=
apud	Avienum	=	4615	=	8 ies	=	=	=	577	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	16 ies	=	=	=	616	=	=
=	Nemesianum	=	672	=	semel	=	=	=	672	=	=
=	Ausonium	=	5294	=	ter	=	=	=	1431	=	=

sed mutatum in —*um*

apud	Terentianum	in	2721	vers.	148 ies	i. e.	semel	in	19	enis	versibus.
=	Sulpicium	=	78	=	bis	=	=	=	39	=	=
=	Iuvencum	=	3217	=	53 ies	=	=	=	61	=	=
=	Avienum	=	4615	=	71 ies	=	=	=	65	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	139 ies	=	=	=	71	=	=
in	Ps. Auson.	=	440	=	6 ies	=	=	=	73	=	=
apud	Pentadium	=	78	=	semel	=	=	=	78	=	=
in	Verb. Achill.	=	89	=	semel	=	=	=	89	=	=
apud	Tiberianum	=	92	=	semel	=	=	=	92	=	=
=	Vespam	=	99	=	semel	=	=	=	99	=	=
=	Ausonium	=	5294	=	49 ies	=	=	=	108	=	=

in	Ps. Claudian.	in	372	vers.	bis	i. e. semel	in	186	enis versibus,
apud	Sammonicum	=	1107	=	ter	= =	=	369	= =
=	Porfyrium	=	819	=	bis	= =	=	410	= =
=	Getam	=	461	=	semel	= =	=	461	= =
=	Nemesianum	=	672	=	semel	= =	=	672	= =
=	Commod.	=	2313	=	10ies	= =	=	231	= =

i. e. accusativi in —*on* exeuntes apud Hadrianum et Lactantium exitum servant omnes,

apud	Sammonicum e denis	5,0	servant,		5,0	mutant,	
=	Nemesianum	5,0	=	,	5,0	=	,
=	Terentianum	3,5	=	,	6,5	=	,
=	Sulpicium	3,3..	=	,	6,6..	=	,
in	Ps. Claudianeis	3,3..	=	,	6,6..	=	,
apud	Avienum	1,1	=	,	8,9	=	,
=	Claudianum	1,1	=	,	8,9	=	,
=	Ausonium	0,6	=	,	9,4	=	,

apud Getam, Vespam, Pentadium, in Verb. Achillis, apud Tiberianum, Porfyrium, in appendice Ausoniana, apud Iuvencum, Commodianum omnes exitum mutant in —*um*.

2. Accusativum nominum quorum nominativus in —ας vel —ης exit poetae varie flectunt. Multis enim locis Graecam terminationem servant, aliis mutant, interdum tertiae declinationis terminationem —*em* adhibent. Iam ad singulos poetas pertractandos accedamus. Ac primum afferantur accusativi nominum in —ας exeuntium.[1])

Huius generis accusativum servatum invenimus apud Terentianum: *Aenean* 458, idem nomen apud Sulpicium i. v. 4 et 11. Avienus nomen *borean* Graece flexit in Arat. 435. 549. 686. 1475. 1571, in descr. orb. terr. 140. 242. 342. 565. 669. 799. 923. 1194. 1264. Ausonius terminationem —αν mutavit in —*am* his locis: *Boream* VI 9 *Hylam* epigr. 96,7 *Pythagoram* epist. 24,39. Claudianus Graeca terminatione his locis usus est: Eutr.: *Midan* II 261 [ita ratione iusta Birtius uno cod. Bruxell. nisus, cett. codd. —*am*, Ieepius *Midam*]; c. m.: *Aenean* 17,38 [hanc lect. Birtius cod. bibl. Arras. 438 auctore contra ceteros codd., quos Ieepius secutus est, recepit] *Borean* 36,6 [hanc Vaticani et Ambrosiani cod. lectionem Birtius secutus est; cett. codd. et Ieepius praebent —*am*.]

[1]) Neue I ^{3} 88 sqq. Sniehotta l. c. pag. 29. Bednara l. c. pag. 355. Zwiener l. c. pag. 79 sq.

Iuvencus ubique Latinam terminationem adhibuit: *Andream* I 423 *Barrabam* IV 624 [codd. fluctuant inter —*am* et —*an*; editt. —*an* praebent.] *Heliam* III 265. 345. IV 694. *Hieremiam* III 268 *Iudam* IV 444.

Commodianus ubique Latine flexit; inveniuntur in carm. apol. hi accusativi in —*am* exuntes: *Esaiam* 221 *Heliam Hiereniam* (ibid.) *Thomam* 561 *Zachariam* 220.

In summa accusativi exitus —αν 21 locis servatur, 15 locis mutatur; atque servatur

apud	Sulpicium	in	78	vers.	bis	i. e.	semel	in	39enis	vers.,
=	Avienum	=	4615	=	15 ies	=	=	=	308	= =
=	Terentianum	=	2721	=	semel	=	=	=	2721	= =
=	Claudianum	=	9850	=	ter	=	=	=	3283	= =

mutatur in —*am*

apud	Iuvencum	in	3217	vers.	7 ies	i. e.	semel	in	459enis	vers.
=	Ausonium	=	5294	=	ter	=	=	=	1765	= =
=	Commodianum	=	2313	=	5 ies	=	=	=	463	= =

Igitur accusativi in —αν exeuntes apud Sulpicium, Terentianum, Avienum, Claudianum omnes exitum Graecum servant, apud Ausonium, Commodianum, Iuvencum omnes mutant.

Accusativi nominum in —ης exeuntium aut servant Graecum exitum —ην aut mutant in —*am* vel —*em* [1]).

Terentianus Maurus uni tantum nomini Latinum dedit exitum —*am* i. v. 2457: *Lycambam* [2]), ceteris locis Graecum exitum servavit; *Battiaden* 1886 [—*em* edit. pr. —*en* rel. editt.] *Sotaden* 1510. 2838 *Xerxen* 1171.

Serenus Sammonicus servavit accusativi exitum Graecum his locis: *celaphoten* [—*em* A, —*e* B] 423 *spongiten* 595; Porfyrius: *Booten* 12,13. Tertiae declinationis exitum —*em* posuit Vespa in v. 52: *Thyestem*.

Avienus excepto accusativo *Persam* (descr. 1253) ubique Graeca terminatione usus est: in Arat.: *Acesinen* 1343 *Amphitryoniaden* 178 [A, —*em* v, *Amphytrimonia den* V] *booten* 1303 *Gangen* (codd.: *Ganges*, ad haec cf. quae scripsit Daigl. pag. 7) 1359 *Iasiden* 441; in descr. orb. terr.: *booten* 598 *narcissiten* 1225.

Ausonius huius generis accusativos et Graece et Latine flexit. Graecam terminationem his locis servavit:

---

[1]) Neue I³ 48 sqq. et 90 sq. Sniehotta l. c. pag. 25 sqq. Bednara l. c. pag. 354 sq.

[2]) Ed. pr. praebet *Lycamben*, quae forma a metro abhorret, qua re Lachmannus vett. editt. secutus *Lycambam* scripsit.

in epitaph.: *Aeaciden* 5,1, idem in technop. 9,5: in comm. prof.: *Cleanthen* 16,11, *Plistheniden* 22,19; in urb.: *Choaspen* 156 [—*em* Lugd. volgo]; in epist.: *Epimeniden* 22.2,46 [locus in codd. corruptus est: *medem (meden* Mpmu) *quem* ω, *Epimenidem* A. Schott, Peiper, *Epimeniden* Schenkl], *Oresten* 25,65; in protrept.: *Peliaden* 2,20 [—*en* λζ E, —*em* Tmu]; in perioch. Iliad. X 2 invenimus accusativum: *Atriden* (Peiper: *Atridem*). Latinum exitum —*am* dedit his: *Atridam* epist. 16.2,11 *Lapitham* techn. 9,4. Tertiae denique declinationis exitum —*em* concessit his duobus *Amphitryoniadem* protrept. 2,22. [—*en* Parisinus, —*em* Tilianus Voss. 107, Laurentianus, Vossianus 111.] *Byzigem* epist. 22.2,47 [—*em* Tilian., *en* cett.].

Eandem viam ingressus est Claudianus[1]; Graecum exitum his locis servavit: Ruf.: *Hydaspen* II 243 [—*en* Vatican., Bruxell., Parisin. 8083, —*em* Ambrosian. Neapolitan., Parisin. 18,552, edit. Vicent., —*i* Arras.], *Oedipoden* I 84 [—*en* Bruxell., —*em* cett.]; *Thyesten* I 84 [—*en* Ambrosian., Bruxell., —*em* cett.]; *Xerxen* II 120 [omnes fere codd. praeter Ambros., Parisin. 18.552]; Gild.: *Booten* 501 [—*en* Ambrosian., —*em* cett.]; Hon. III: *Gangen* 203; Theod.: *Alciden* 288 [—*em* edit. Vicent.], *Gangen* 239 [—*en* Vatican. —*em* cett.]; Stil.: *Euphraten* I 54 [—*en* Vat., Paris. 18,552, —*em* cett.]; *Tigranen* I 370 [—*en* Paris. 8083, —*em* cett., —*en* metro postulatur]; *Persen* I 372 III 165; Hon. VI: *Tydiden* 470 [—*em* Neapolit., —*en* cett., quem exitum metrum tuetur]; Poll.: *Aeaciden* 125 [—*en* Parisin. 8082, —*em* cett., —*en* metro postulatur]; carm. min.: *Phylaciden* 30,151; rapt. Proserp.: *Booten* II 190 [codd. praebent —*em*], III 225 [*en* Oxoniens., cod. Mus. Brit. 6042, —*em* al.]; in appendice Claudianea legimus: *Alciden* II 134 (ante vocalem insequentem).

Latine terminavit Claudianus per —*am*: *Aeetam* Poll. 3. Exitum —*em* his locis invenimus: Prob. 80: *Hydaspem* [—*en* Ieepius]; Ruf.: *Orestem* I 107 *Orontem* II 35: Gild.: *Araxem* 31 [—*en* Vatic. —*em* cett.]; Hon. III: *Niphatem* 72; Theod.: *cometem* 112; Stil.: *Orontem* III 158; Poll.: *cometem* 243.

[1]) Welzel l. c. pag. 85.

Iuvencus Graece terminavit: *Iordanen* I 415; mutavit accusativos: *Herodem* III 40 *Iohannem* I 26. 409. 430 III 51. 685. Nomen *Moyses* semel accusativum per *—ea* terminatum praebet: *Moysea* IV 15.

Commodianus Latine flexit accusativum *Iohannem* c. a. 220.

Tertiae quoque declinationis nomina in —ης exeuntia (gen. —ους) exitum —ην servant.

Atque Terentianus servavit: *Diomeden* 2059 [*—em* edit. pr.].

Claudianus nominis *Ulixes* accusativum Graece terminavit per *—en*: *Ulixen* carm. min. 30,145; nominis *Achilles* Latine per *—em*: *Achillem* n. Hon. pr. 19. 16; Hon. IV 537.

Ausonius Latine per *—em* terminavit: *Achillem* protrept. 2,20 (idem nomen invenitur perioch. Iliad. II 4) *Hippocratem* technop. 11,6 *Phanacem* epigr. 30,3.

Nominis *Agathocles* accusativus, quasi nominativus in —εους exiret, per *—ēā* terminatur[1]): *Agathoclea* epigr. 8,1.

Accusativus nominis *penthemimeres* ab Ausonio per *—en* terminatur: *penthemimeren habent priorem*[2]) epist. 4,86.

In summa igitur exitum —ην invenimus 45 locis servatum, 5 locis mutatum in *—am*, 25 locis mutatum in *—em*, duo nomina per *—ea* accusativum finiunt. Atque servatur exitus *—en*

in	Ps. Claudianeis	in	372	vers.	semel	i. e.	semel	in	372enis	vers.,
=	Ps. Ausonianeis	=	440	=	semel	=	=	=	440	= =
apud	Terentianum	=	2721	=	5 ies	=	=	=	544	= =
=	Claudianum	=	9850	=	18 ies	=	=	=	547	= =
=	Sammonicum	=	1107	=	bis	=	=	=	554	= =
=	Ausonium	=	5294	=	9 ies	=	=	=	588	= =
=	Avienum	=	4615	=	7 ies	=	=	=	669	= =
=	Porfyrium	=	819	=	semel	=	=	=	819	= =
=	Iuvencum	=	3217	=	semel	=	=	=	3217	= =

mutatur in *—am* vel *—em*

apud	Vespam	in	99	vers.	semel	i. e.	semel	in	99enis	vers.,
in	Ps. Ausonian.	=	440	=	ter	=	=	=	147	= =
apud	Terentianum	=	2721	=	semel	=	=	=	2721	= =
=	Iuvencum	=	3217	=	6 ies	=	=	=	536	= =
=	Claudianum	=	9850	=	12 ies	=	=	=	821	= =

[1]) Mueller, De re metr. pag. 496.

[2]) Terentianus Maurus terminavit per *—in*: *hepthemimerin* 1681 et *penthemimerin* 1791, quas formas iotacismo qui dicitur ortas esse ex *hepthemimeren* et *penthemimeren* apparet.

apud Ausonium	in 5294 vers.	5 ies	i. e. semel	in 1059enis	vers.,
„ Avienum	„ 4615 „	semel	„ „	„ 4615 „	„
„ Commodianum	„ 2313 „	semel	„ „	„ 2313 „	„

omnes igitur accusativi Graeci servantur apud Sammonicum et Porfyrium, contra

apud Avienum	8,7 servantur,	1,3	mutantur
„ Terentianum	8,3 „	1,7	„
„ Ausonium	6,4 „	3,6	„
„ Claudianum	6,0 „	4,0	„
in Ps. Ausonian.	2,5 „	7,5	„
apud Iuvencum	1,4 „	8,6	„
„ Commodianum	0 „	10	„

Multo saepius igitur poetae Graecam quam Latinam terminationem adhibuerunt. Latine notiora tantum nomina flectuntur velut *Aeetam Orestem Orontem —cometem.* Codices alii alias terminationes praebent atque imprimis in fine fluctuant inter Graecam et Latinam terminationem. Neque desunt loci quibus codices nonnulli etiam ante vocalem insequentem, ubi metro Graeca terminatio postulatur, exitum *—em* praebent. Praeterea si id quoque respexerimus, quantopere codices in terminandis accusativis nominum in —η exeuntium inter Graecum exitum —ην et Latinum *—em* fluctuent, ubi de hoc ne cogitari quidem potest, Latinas formas librariis potius quam poetis ipsis tribuemus.

3. Nominum, quorum nominativus in —α vel —η exit, accusativus vel Graece vel Latine flectitur, sed ita ut accusativus in —αν exiens plerumque Latinam, accusativus in —ην exiens Graecam terminationem praebeat.

Pauca tantum nomina in —α purum excurrentia accusativi Graecum exitum servant: apud Terentianum: *synaphian* 2021. 2079; apud Ausonium in epit.: *Odyssean* 6,2; apud Claudianum in libr. de b. Poll. 776: *Tegean.*

Cetera huius generis nomina accusativum Latine terminant. Inveniuntur apud Terentianum: *Medeam*; apud Getam: *Creusam pyram*; in Verbis Achillis: *Deidaniam*; apud Tiberianum: *Troiam*; apud Avienum: *Asiam Ausoniam Cassiepiam Cypselam Electram Emathiam Hiberiam hydram Maeoniam Orithyiam ophiussam Phrygiam Satram Scythiam Troiam;* apud Ausonium: *Aesopiam Anticyram Antiphilam Aeoliam Argyripam Asiam Chimaeram Deliam Dryadiam Cataphroniam hydram pharetram pyram Thessaliam;* apud Claudianum: *Arcadiam Asiam Assyriam*

Electram Gelam Hesperiam Lyciam myrrham Ossam Phlegram Spartam sphaeram Scythiam Syriam Thessaliam; apud Iuvencum: *Bethaniam Galilaeam Mariam Martham Syriam;* apud Commodianum: *Liam petram Samariam.*

Adiectiva ubique Latine flectuntur; atque invenimus apud Avienum: *cyaneam Iasoniam Phoebeam,* apud Ausonium: *Aoniam Elysiam Gnidiam Lacedaemoniam Lernaeam Naryciam Tartaream trimetriam Thraeiciam Troiam*; apud Claudianum: *Agamemnoniam Ausoniam Bistoniam Hiberam Lernaeam Lycaoniam Oresteam Phrygiam Stygiam Tartaream;* apud Iuvencum: *Iudaeam.*

In summa invenimus 4 accusativos per —αν, 114 per —*am* terminatos atque

in	Verb. Achill.	in	89	vers.	semel	i. e.	semel	in	89enis	versib.,
apud	Tiberianum	=	92	=	semel	=	=	=	92	=
=	Avienum	=	4615	=	36 ies	=	=	=	128	=
in	Ps. Ausonian.	=	440	=	ter	=	=	=	147	=
apud	Lactantium	=	170	=	semel	=	=	=	170	=
in	Ps. Claudian.	=	372	=	bis	=	=	=	186	=
apud	Iuvencum	=	3217	=	17 ies	=	=	=	189	=
=	Getam	=	461	=	bis	=	=	=	230	=
=	Ausonium	=	5294	=	18 ies	=	=	=	294	=
=	Claudianum	=	9850	=	29 ies	=	=	=	340	=
=	Terentianum	=	2721	=	semel	=	=	=	2721	=
=	Commodianum	=	2313	=	ter	=	=	=	771	=

E denis accusativis graecis

Terentianus	6,6	servavit,	3,3	mutavit,
Ausonius	0,5	=	9,5	=
Claudianus	0,3	=	9,7	=

ceteri omnes mutaverunt.

Terminationem —ην[1]) his locis servatam invenimus: apud Getam: *Hecaten* 334; apud Terentianum: *strophen* 2707 *tomen* 1674. 2820. 2823; apud Nemesianum in eclog.: *Donacen* II 1. 10. 26. 88 *Meroen* IV 66; in cyneg.: *Nioben* 15 *Semelen* 16; in Pervig. Veneris: *Dionen* 11; apud Reposianum: *Paphien* 23; apud Porfyrium: *Thylen* 18,22; apud Avienum[2]) in Arat.: *Amphitriten* 1399 *Hippocrenen* 496 *Meropen* 598 *Phoeben* 516; in descr. orb.

---

[1]) Neue I³ pag. 66 sqq. Sniehotta l. c. pag. 25 sqq. Bednara l. c. pag. 354 sq.

[2]) Daigl l. c. pag. 7.

terr.: *Aeetinen* 657 *Parthenopen* 497 *Sinopen* 1150 *Syenen* 337. 365 *Thylen* 760; in ora marit.: *Pyrenen* 562 *Sordicen* 570; apud Ausonium in Mosella: *Aganippen* 447 [*—em* G *—ē* B] *Arsinoen* 315 *Pyrenen* [*em* G] 441 *Rhodopen* [*—em* ZX, *—en* λ] 158 *Tarnen* 465; in carm. III d. Bissula: *Thymelen* [*—am* M, *—em* T] 4; in epistulis: *Pyrenen* [*—em* V] 25,87 *scytalen* 23,23; in epigr.: *Deiphoben* 18,6[1]); in carm. III 15: *grammaticen*; in carm. XXXII 14: *Phoeben*; in epigr. pseudoausonian.: *Daphnen Nioben* 30,1.

Claudianus[2]) servavit Graecum exitum Prob.: *Meroen* 135; Ruf.: *Hecaten* I 155 [*—ē* V] *Phoeben* I 9 *Thylen* II 240 [AEΠ, *—em* VB, *—ē* PC]; Eutr.: *Cybeben* I 277 [*—em* ACEΠ, *—en* B, *—ē* PV] *Danaen* [*—em* B, *—ē* P] I 82 *Nioben* II 405; Gild.: *Europen* 4 [VP, *—ā* CΠ, *—am* AB], n. Hon.: *Cymothoen* 138. 143; Hon. IV: *Rhodopen* 50; Theod.: *Phoeben* 130; Stilich.: *Ivernen* II 251 ['Ιέρνη, *inexnen* Em, *inermem* (corr. in *hibernā*) V, *hybernam* A *hibernam* PΠB], *Thracen* I 21. 107 *Thylen* III 156; Hon. VI praef.; *Inarimen* 18; Poll.: *Oeten* 182 *Thylen* 204; carm. min.: *Cybeben* 30,18; *Cymothoen* 30,127 *Meroen* 25,73; 28,19 *Oeten* 53,66 *Rhodopen* 53,69 *Syenen* 28,19; rapt. Proserp.: *Cyanen* III 246 [D, *—ē* CWAS *—em* F] *Cybeben* III 113 [*—en* SDF, *—em* WAC] *Cybelen* I 181 [D, *—ē* W, *—em* FS] *Inarimen* III 184 [*—em* F, *—ē* C, SAD corr.] *Phoeben* III 209 *Rhodopen* I 135; in app. Claudianea invenimus: *Calliopen* V 11.

Commodianus unum huius generis nomen adhibuit, sed Latine per *—em* terminatum in instr. I 11,2: *Dafinem* [C, *daphnem* B, *daphem* A, *Daphnen* vv].

Pauca tantum nomina atque imprimis adiectiva, nomina notiora geographica vel nomina mulierum illustrium nominativum secuta accusativi Latinam terminationem *—am* acceperunt.

---

[1]) *Daphnen* 106 tit. [*in Daphnen* excerpt. b[2]; *de Daphne* Tilian. dett.; nullum lemma Maggliabecchian.; *Daphne* Lugd. volg.; *De Daphne* Peiper] in nonnullis praeterea codd. epigr. 19 inscribitur: in *Meroen*, epigr. 83: in *Dionen*, quam lectionem Peiper recepit, Schenkelius reiecit.

[2]) Welzel l. c. pag. 84.

Ita scripsit Terentianus: *amurgam — catalecticam dactylicam*; Porfyrius: *Helenam*; Avienus: *Cretam Europam Libyam — Hadriaticam*; Ausonius: *Europam Libyam — rhetoricam*; Claudianus: *Aetnam Alcmenam Cretam Helenam Idam Libyam — Geticam Tyrrhenam.*

In summa accusativi exitus —ῃν 74 locis servatur, 61 mutatur, atque servatum invenimus

apud	Nemesianum	in	672	vers.	8 ies	i. e.	semel	in	84enis	vers.,
in	Perv. Vener.	„	93	„	semel	„	„	„	93	„	„
apud	Reposianum	„	182	„	semel	„	„	„	182	„	„
in	Ps. Auson.	„	440	„	bis	„	„	„	220	„	„
apud	Claudianum	„	9850	„	32 ies	„	„	„	308	„	„
in	Ps. Claudian.	„	372	„	semel	„	„	„	372	„	„
apud	Avienum	„	4615	„	12 ies	„	„	„	385	„	„
„	Getam	„	461	„	semel	„	„	„	461	„	„
„	Ausonium	„	5294	„	11 ies	„	„	„	481	„	„
„	Terentianum	„	2721	„	quater	„	„	„	680	„	„
„	Porfyrium	„	819	„	semel	„	„	„	819	„	„

mutatum

in	Ps. Claudian.	in	372	vers.	ter	i. e.	semel	in	124enis	vers.,
apud	Avienum	„	4615	„	19 ies	„	„	„	243	„	„
„	Claudianum	„	9850	„	27 ies	„	„	„	369	„	„
in	Ps. Auson.	„	440	„	semel	„	„	„	440	„	„
apud	Terentianum	„	2721	„	5 ies	„	„	„	544	„	„
„	Porfyrium	„	819	„	semel	„	„	„	819	„	„
„	Ausonium	„	5294	„	quater	„	„	„	1323	„	„
„	Commodian.	„	2313	„	semel	„	„	„	2313	„	„

Omnes igitur accusativi in —ῃν exeuntes apud Getam, Nemesianum, in Perv. Veneris, apud Reposianum exitum —ῃν servant, contra

apud	Ausonium	7,3	servant,	2,7	mutant,
in	Ps. Auson.	6,6	„	3,3	„
apud	Terentianum	5,5	„	4,5	„
„	Claudianum	5,4	„	4,6	„
„	Porfyrium	5,0	„	5,0	„
„	Avienum	4,0	„	6,0	„
in	Ps. Claudian.	2,5	„	7,5	„
apud	Commodian.	0,0	„	10,0	„

4. Iam pergo ad tertiae declinationis accusativum pertractandum[1]). Ac primum afferantur accusativi, quorum nominativus *—is* terminationem praebet. Horum nominum accusativus *—im* vel *—in* terminatione formatur, imprimis accusativus nominum parisyllaborum.

[1]) Neue I[3] l. c. pag. 316 sqq., 477 sqq. Sniehotta l. c. pag. 29 sqq. Bednara l. c. pag. 358. Zwiener l. c. pag. 89 sqq. Welzel l. c. pag. 88.

Eandem declinandi rationem interdum sequuntur nomina, quorum genetivus Graecus in —ιδος, accusativus in —ιδα exit, neque desunt loci quibus hanc terminationem —ιδα cum Latina —*idem* mutatam invenimus.

Accedamus ad singulos poetas perscrutandos.

Hadrianus ubique Graece terminat: *Thyrsin* 124,7; Terentianus servat: *arsin* 1346. 1566 *Daphnin* 842 θέσιν 1346 *thesin* 1423. 1566 — *Atthida* 2154 *Phyllida* 221. 788.

Septimius Serenus Latine flexit: *graphidem* 21; neque aliter Nemesianus in cyneg.: *Tigrim* 67.

Serenus Sammonicus et Graeca et Latina terminatione usus est: *synthesin* 1064 — *cedrim* 551.

Avienus Graecum exitum dedit his nominibus in Arat.: *Cepheida* 641; in descr. orb. terr.: *Maeotida* 31; in or. marit.: *Agonida* 214 — *Oestrymnin* 91 *Tyrin* 482; Latine scripsit in descr. orb. terr.: *Syrtim* 291; in ora marit.: *Thetim* 526.

Ausonius Graecam terminationem —ιν adhibuit in epigr.: *Osirin* 30,2; Latine flexit: *Adonim* [Peiper —*in*] Cup. cruc. 58 *Constantinopolim* prof. 17,14; syllaba — α terminavit haec nomina: in Mosella: *delphina* 137 (cf. pag. 42); in technop.: *Minoida* 11,7; in carm. XXII: *trieterida* 2,2; in epist.: *Deoida* 4,50 *Pimpleida* 14,9; in epigr.: *Caenida* 64,9 *Cyprida* 55,1 *Phyllida* 74,1; praeterea in epigr. pseudoausonian. invenimus: *Cyprin* 8,2.

Claudianus omnibus terminationibus usus est. Invenimus enim

1) accusativos in —ιν exeuntes: Ruf.: *Maeotin* I 312 *Tanain* I 324 [—*in* V, —*im* CBA¹ PAII]; Eutr.: *Phasin* I 245; idem nomen Hon. III 324; Theod.: *Baetin* 286; Hon. *Hypanin* VI 337; in carm. min.: *Athesin* 25,106; (praeterea Ieepius in c. 27,4 (Birtius 28,4) pro *arcum* coniecit *Irin* —); Poll.: *Tanain* 603 [C, —*im* IIA, —*ym* P, —ī A, —*y* B]; rapt. Proserp.: *Acin* III 332 *Themin* I 107; in app. Claudianea invenimus accusativum: *Charybdin* I 2; —

2) accusativos per —*im* terminatos: Eutr.: *Thybrim* I 447; n. Hon. pr.: *Thetim* 22 et 175; Hon. III: *Tanaim* 205; in Fesc.: *Baetim* II 31; Theod.: *Thybrim* 200; Stilich.:

Tigrim I 53; Hon. VI: *Thybrim* 365. 486. 182; idem nomen Poll. 578; rapt. Pros.: *Tanaim* II 66;

3) accusativos in —ιδα exeuntes: Prob.: *Nereida* 202; Eutr.: *aegida* II 161; Hon. III: *Persida* 204; Hon. IV: *aegida* 164 *nebrida* 606; Theod.: *Dorida* 45; Poll.: *Maeotida* 57; Stilich.: *aegida* III 211; carm. min.: *Schoeneida* 30,170; rapt. Proserp.: *Thaumantida* III 1 *aegida* 336;

4) accusativum Latinum in *—idem* exeuntem: *Adonidem* Fesc. I 16.

Accusativus nominis δελφίς Graece flectitur: *delphina* (Eutr. I 356; II praef. 73; n. Hon. 156). Cf. pag. 42 et 53.

Nomen *Araris* (cf. Ruf. II 111; Eutr. I 405), cuius loco etiam *Arar* (cf. Eutr. II 269; Theod. 53) exstat, accusativum praebet *Ararim* (Poll. 298).

Iuvencus Graecam terminationem servavit in accusativo: *Samaritida* II 244; praeterea accusativum nominis regis *David* bis Graece flexit: *Davida* I 179, II 570.

Apud Commodianum invenimus accusativum *Nemesim* instr. I 16,9 [ita Dombartius, *nemissem* C, *Nemes in* BAvo].

5. Accusativi nominum in —ας (genetivo in —αντος vel —αδος exeunte) excurrentium ubique Graecam terminationem servant[1]). Inveniuntur hi apud Hadrianum: *Teuthranta* 123,2.3; apud Avienum in Arat.: *lampada* 256. 155. 1579; in descr. orb. terr.: *adamanta*[2]) 1320; apud Claudianum: Eutr.: *Pallada* I 272 *Symplegada* II 30 *Troada* II 405; Hon.: *Atlanta* IV 35; idem Hon. VI 380 et Stil. III 336; carm. min.: *Pallanta* 53,95 *Pallada* 53,110; idem rapt. Proserp. III 209; apud Commodianum in carm. apol.: *lampada* 256.

6. Ea quoque nomina, quae in nominativo per *—er* terminantur, ubique Graece flectuntur[3]): *aethera* Porfyr. 19,15; Geta 139; Apul. 5,5; Avien. Arat. 4. 52. 509. 575. 636; Auson. Mos. 329; Iuvenc. pr. 14. I 679; Commodian. carm. apol. 1046; Claudian. Ruf. I 130. 371; Prob. 83; Eutr. II 493; Hon. III pr. 5; Theod. 105; Stil. I 141; Hon. VI 47. 273. 615; rapt. Proserp. I 141; c. m. 51,1. 53,5.

[1]) E sermone volgari Ausonius recepit accusativum *hebdomadam* (Caes. I 22), cuius nominativus *hebdomada* per metaplasmum ex accusativo nominis *hebdomas* factus est.

[2]) Cf. Daigl. l. c. pag. 7. [3]) L. Mueller, De re metr.[2] pag. 497.

aera Nemesian. ecl. II 32; cyn. 33; Lactant. 74; Avien. Arat. 462. 511. 548. 728. 1078. 1300. 1421. 1464. 1507. 1748; descr. 753. 843; Auson. ephem. 3,44. 7,3.9.25. 3,85; techn. 9,19; epigr. 107,4; Iuvenc. I 388.

cratera Nemesian. ecl. III 65; Avien. Arat. 899. 1123; Claudian. rapt. Proserp. II 344.

7. Neque aliter nomina in *—or* exeuntia flectuntur: *Castora* Avien. Arat 373; Claudian. Ruf. I 108; *Hectòra* Terentian. 273; Auson. epitaph. 26,2; perioch. Iliad. 13,1, *Nestora* Auson. prof. 22,24; epist. 16.2,14; perioch. Iliad. 14,1 *rhetora* Auson. prof. 4,1; semel tantum Claudianus Latina terminatione usus est: *Castorem* Fesc. I 6[1]).

8. Nomina in —ων exeuntia plerumque accusativum Graecum servant. Latinam terminationem his tantum locis invenimus: *agonem* Porfyr. 19,30; Commodian. instr. II 28,1; C. A. 610; *Leonem* Auson. VI 16; Commodian. C. A. 628, *Pharaonem* Commodian. C. A. 714, *Sidonem* Iuvenc. III 177, *Simonem* Iuvenc. I 422 IV 653, *Solonem* Auson. lud. 52. 58. 113. 119. 123. 132; Claudian. Hon. IV 507, *Theonem* Hadrian. 124,7; Auson. epist. 4,2; 6 tit.

Nomen *Apollo* ubique Latine formatur[2]), atque invenimus accusativum *Apollinem* apud Auson. in epigr. 105 tit.; Claudian. Fesc. I 8; Commodian. instr. I 11,1.

Et Graece et Latine flexit Ausonius accusativum nominis *Amazon*: *Amazona* XXXIII 6 — *Amazonem* epigr. 96,4.

Cetera nomina in —ων exeuntia Graecum exitum servant. Ita scripsit Hadrianus: *Almona* 124,7; Terentianus servavit: *Anacreonta* 2850 παίωνα 1537 *paeona* 2405 *Pythona* 1586; apud Vespam legimus: *Calydona* 68; in Getae tragoedia: *Acheronta* 283; Nemesianus Graece declinavit in cyneg.: *ichneumona* 54 *Phaethonta* 35; in eclog.: *aedona* II 51; Avienus Graece dixit in Arat.: *Oriona* 526. 584. 1174. 1187. 1232 *Phaethonta*

---

[1]) Ne quis putet genus carminis ad mutandas formas Graecas aliquid valuisse, satis habeo attulisse formas *Delos*, *Hippolyte*, *Amazonas*, *Dryadas*. Accusativos *Adonidem* (*Apollinem*) *Castorem* metri necessitate coactus poeta Latine flexos in fine versus posuit.

[2]) Zwiener l. c. pag. 161.

785; in descr.: *Babylona* 1160. 1207 *Phaetonta* 426 *Platamona* 827; in ora marit.: *Geryona* 264; Ausonius haec nomina Graeca terminatione affecit: epist.: *Phaetonta* 25,19; epigr.: *Idmona* 19,7; *Polygitona* 107,1; Claudianus his locis Graeca terminatione usus est: Ruf.: *Actaeona* II 419 *Helicona* pr. 1 *Phlegethonta* I 119; Eutr.: *Babylona* I 335, II 475 *Chalcedona* II 27. 451 *Maeona* II 245 *Memnona* II 530; Gild.: *Nasamona* 192 *Strymona* 476; n. Hon.: *Strymona* 310 *Tritona* 129; Hon. III: *Babylona* 201; Hon. IV: *Chalcedona* 177 *Phaethonta* 63 *Tritona* 36; Theod.: *Lacedaemona* 156; Stilich.: *Amphiona* II 170 *Babylona* I 54 *Nasamona* I 256 *Saxona* II 255[1]); Hon. VI: *Oriona* 177; Poll.: *Haliacmona* 179 *Strymona* 178; in carm. min.: *Saxona* 25,89; rapt. Proserp.: *Ixiona* II 335 *Typhona* II 22.

Iuvencus Graece scripsit: *Salomona* I 644 II 710.

Commodianus semel Graecum accusativum adhibuit C. A. 897: *Sidona*.

9. Nomina, quorum nominativus Graecus in —ευς exit, ubique fere accusativum Graecum servant; atque invenimus in Ponticis PLM III pag. 173,19: *Nerea*; apud Avienum: Arat.: *Cephēa* 440[2]). 441 *Orphea* 623 *Persea* 561. 954. 1286; apud Ausonium in epit.: *Gunea* 12,1; in epist.: *Thesea* 25,63; in epigr.: *Capanēa*[2]) 87,2 *Phegea* 96,8; apud Claudianum: Ruf.: *Penthea* II 418; Eutr.: *Epimethea* II 497; Poll.: *Nerea* 320; c. m.: *Orphea* 31,1 *Salmonea* 51,13; rapt. Proserp.: *Protea* III 13.

Latine Ausonius tantum flexit accusativos *Adoneum* epigr. 30,6 et *Pantheum* ibid. 7.

10. Reliqua tertiae declinationis nomina, quae Graece per —α accusativum terminant, vel servant vel mutant Graecum exitum. Servant haec apud Nemesianum in cyn.: *Titana* 40; apud Porfyrium: *Styga* 28,2;3; apud Avienum: Arat.: *Styga* 208; apud Ausonium: lud.: *Tellena* 97; technop.: *Philopoemena* 9,14; XXXII: *Titana* 14; epigr.: *Iapyga* 19,7; apud Claudianum: Prob.: *Titana* 94; n. Hon. pr.: *Simoenta* 20; Hon. III: *thoraca* 195; Ruf.: *Styga* II 523; Hon. VI: *grypha* 30 *Pana* 199; carm. min.: *Paeana* 53,125 *Titana* 27,90; 28,33; idem n. Hon. 114 et rapt. Pros. II 49.

[1]) Welzel l. c. pag. 87.

[2]) L. Mueller, De re metr. 496.

Nomen χλαμύς, —ύδος accusativum praebet *chlamidem*[1]) apud Ausonium in cent. nupt. II 48, *clamidem* apud Iuvencum II 644.

Latine accusativus nominis μάρτυρ flectitur: *martyrem* Commodian. instr. II 7,18.

Praeterea hi accusativi Latinum exitum praebent: apud Septimium Serenum: *graphidem* 20; apud Sammonicum: *styracem* 858; apud Ausonium: *Olympiadem* carm. XXII 4; 6; apud Nemesianum in vers. de aucup.: *tetracem* 1; apud Claudianum: Gild.: *Aethiopem* 192 *Syphacem* 91; Hon.: *chalybem* VI 569; apud Commodianum: *Cyclopem* instr. I 10,6.

Soloece semel auctor Ponticon accusativum nominis *Thetys* flexit per *—ya*[2]): *Thetya* in vers. 1; de accusativo *Agathoclea* cf. pag. 48, de accusativo *Moysea* ibid.

In summa 203 locis invenimus accusativos in —α exeuntes, 25 in —ιν excurrentes; 35 locis —α in *—em* 2 locis in *—um*, 21 locis —ιν in *—im* mutatur.

accusativi exeunt in	—α	*—em*	*—in*	*—im*	nominativo exeunte in
apud Hadrianum	—	—	1	—	*—is*
	2	—	—	—	*—as*
	1	1	—	—	—ων
ap. Sept. Seren.	—	1	—	—	*—is*
apud Getam	1	—	—	—	*er*
	1	—	—	—	—ων
apud Sammonicum	—	—	1	1	*is*
	—	1	—	—	*—ax*
apud Terentianum	3	—	8	—	*—is*
	1	—	—	—	*—or*
	4	—	—	—	—ων
apud Nemesianum	—	—	—	1	*is*
	3	—	—	—	*er*
	3	—	—	—	—ων
	1	1	—	—	*—ax, —an*

[1]) Zwiener l. c. pag. 165.

[2]) L. Mueller l. c. pag. 497.

accusativi exeunt in	—*a*	—*em* (*um*)	—*in*	—*im*	nominativo exeunte in
apud auctorem Ponticon	1	—	—	—	—ευς
	1	—	—	—	—υς
apud Vespam	1	—	—	—	—ων
apud Apuleium	1	—	—	—	—*er*
apud Lactantium	1	—	—	—	—*er*
apud Porfyrium	1	—	—	—	—*er*
	—	1	—	—	—ων
	2	—	—	—	—*yx*
apud Avienum	3	—	2	2	—*is*
	4	—	—	—	—*as*
	19	—	—	—	—*er*
	1	—	—	—	—*or*
	11	—	—	—	—ων
	6	—	—	—	—ευς
	1	—	—	—	—*yx*
apud Ausonium	8	—	1	2	—*is*
	8	—	—	—	—*er*
	4	—	—	—	—*or*
	4	9	—	—	—ων
	4	2 *um*	—	—	—ευς
	5	3	—	—	-*ax*, -*yx* etc.
in Pseud. Auson.	—	—	1	—	—*is*
	2	—	—	—	—*or*
apud Claudianum	14	1	10	14	—*is*
	9	—	—	—	—*as*
	14	—	—	—	—*er*
	1	1	—	—	—*or*
	28	2	—	—	—ων
	6	—	—	—	—ευς
	11	3	—	—	-*an*, -*yx*, -*ax* etc.
in Ps. Claudian.	—	—	1	—	—*is*
apud Iuvencum	3	—	—	—	—*is*
	3	—	—	—	—*er*
	2	3	—	—	—ων
	1	1	—	—	—υς, —*es*

accusativi exeunt in	—α	—em	—in	im	nominativo exeunte in
apud Commodianum	—	—	—	1	—*is*
	1	—	—	—	—*as*
	1	—	—	—	—*er*
	1	5	—	—	—ων
	—	2	—	—	—*yr*, —*s*
apud omnes	203	35+2*um*	25	21	

Omnes igitur accusativi in —α exeuntes apud Septimium Serenum exitum mutant; apud Getam, Terentianum, Sammonicum, Nemesianum, auctorem Ponticon, Apuleium, Lactantium, Vespam, in Ps. Ausonianis omnes exitum servant;

apud Claudianum	9,1 servant,	0,9 mutant,	
〃 Hadrianum	7,5 〃	2,5 〃	
〃 Porfyrium	7,5 〃	2,5 〃	
〃 Ausonium	7,0 〃	3,0 〃	
〃 Iuvencum	7,0 〃	3,0 〃	
〃 Commodianum	3,0 〃	7,0 〃	

Accusativi per —ιν terminati apud Terentianum, Hadrianum, in append. Ausoniana et Claudianea exitum servant omnes,

apud Sammonicum	5,0 servant,	5,0 mutant,
〃 Avienum	5,0 〃	5,0 〃
〃 Claudianum	4,0 〃	6,0 〃
〃 Ausonium	3,3.. 〃	6,6.. 〃

apud Nemesianum et Commodianum omnes mutant.

11. Nomina in —ος exeuntia paucis exceptis accusativi exitum —ον servant. Semel terminationem —*ya* invenimus apud auctorem Ponticon (cf. pag. 57). De nomine χλαμύς cf. pag. 57.

Cetera nomina terminationem —υν servant, quamquam interdum in codicibus Latinae terminationes exstant. Inveniuntur huius generis accusativi apud Terentianum Maurum: ἀμφίβραχυν 1418 δίβραχυν 1365 τρίβραχυν 1394 *tribrachyn* 1443. 1446. 1447. 1899. 1901. 2221. 2370; semel in v. 2893 editio Terentiani praebet Latinam terminationem —*ym*: *tribrachym*; apud Avienum: descr.: *chelyn* 258. 818 [—*ym* A²] *Tethyn* 31; apud Pentadium: *Ityn* 344.7; apud Ausonium in Mosella: *chelyn* 391 [*im* B, *in* Z] *Tethyn* 281 [—*in* GZ, —*im* B Ug]; apud Claudianum: Eutr.: *Halyn* II 251

[—*yn* C, —*ym* VA, —*im* PABII]; Poll.: *Tiphyn* 11 [—*in* CII, —*im* APBA]; rapt. Proserp. II pr. 8: *chelyn* [—*un* D, —*im* φ].

Nomina in —ω exeuntia hanc terminationem etiam in accusativo praebent: *Argo* (Avien. Arat. 756) *echo* (Auson. epigr. 10 tit.).

Nomen Ἄθως accusativum praebet *Athon*: Claudian. Stilich. I 127.

12. Neutra tertiae declinationis terminationem Graecam servant excepto accusativo *pelagus*. Inveniuntur accusativi per —ος terminati: *chaos* Avien. Arat. 22. 1550; Auson. epist. 25,56; Claudian. Stil. II 9; Theod. 102; Ruf. II 525; rapt. Proserp. I 28; II 113; 196 *epos* Auson. prof. 6,10 *melos* Tiberian. I 18; Auson. parent. 13,6; Claudian. app. V 56.

Accusativi per —α terminati: *chrisma* Commodian. carm. apol. 268, *comma* Terentian. 309. 1778. 1798. 2009. 2020. 2897 *diadema* Claudian. n. Hon. 167; Hon. IV 167. 259 *dogma* Auson. prof. 27,7 *nomisma* Auson. epist. 5,19; 18,5 *plasma* Auson. epist. 10,2 *schisma* Commodian. instr. II 25,3.

Accedunt indeclinabilia: apud Sammonicum: *sinapi* 64. 122 *thalassomeli* 532; apud Ausonium in epigr. 38,3;79: *alpha*.

13. Accusativi plurales nominum, quae primam vel secundam sequuntur declinationem, ubique fere Latinum exitum praebent[1]). Exempla sint:

arctos Lydos thiasos
Amyclas Persas Scipiadas
carbasa Maenala Pergama.

Neutra tertiae declinationis et Graece et Latina eandem terminationem praebent. Exempli causa afferantur haec:

aenigmata nomismata.

Nomen *Tempe* accusativum praebet *Tempe* Porfyr. 25,6; Claudian. Poll. 181 et *Tempea* auct. Pontic. 21.

Ceteri accusativi plurales nominum tertiam declinationem sequentium saepissime Graecam terminationem servant.

Ita Florus scripsit: *pyramidas* 275,3; praeterea accusativum plur. nominis *Socrates* formavit in carm. 417,3: *Socratas* [*sograte*s S *sograteas* T].

[1]) Zwiener l. c. pag. 107.

Terentianus Maurus Graecum exitum —ας his locis adhibuit: Ἴωνας 1497 *Phrygas* 849; semel accusativum plur. nominis *hepthemimeres* formavit: *hepthemimeres* 1982.

Sulpicius servavit: *Troas* 40; Reposianus Latinorum mori adaptavit accusativum: *Charites* 52; Nemesianus Graece dixit: *Oreadas* cyn. 96.

Avienus[1]) et Graeca et Latina terminatione usus est. Servavit Graecum exitum in Arat.: *Aonas* 66 *physeteras* 309 *Pleiadas* 1806; in descr. orb. terr.: *adamantas* 1304 *Arabas* 970. 1099 *Cilicas* 1028 *Nasamonas* 303 *Thracas* 462; in ora: *Cynetas* 205 *Vasconas* 251; mutavit accusativum: *hyades* Arat. 343; praeterea invenimus accusativum: *Syrtes* descr. 162.

Ausonius Graeca tantum terminatione usus est. Inveniuntur accusativi: *Arabas* epist. 25,55 *crateras* cent. nupt. II 23 *heroidas* Cup. cruc. 14 *heroas* prof. 22,16 *Hyadas* epist. 18,24 *Laconas* eclog. 9,6 *Laidas* epigr. 17,1 *Naidas* Mos. 171; epigr. 98,4 *Olympiadas* parent. 3,4; 11,8; 26,16 *Oreiadas* Mos. 176 *Panas* Mos. 172 *Pleiadas* epist. 18,24. In periochis Iliadis, quae sub nomine Ausoni feruntur, invenimus: *Troas* 13,1; in epigr. Ps. Ausonian.: *canonas* 15,4.

Claudianus[2]) et Graeca et Latina terminatione usus est. Latinam terminationem his verbis dedit: *chlamydes* Stil. II 88; c. m. 46,8 *Dryopes* Poll. 185 *phalanges* Gild. 406; praeterea quater accusativus *Syrtes* invenitur: Hon. IV 438 [Ieepius hoc loco pro *syrtibus undas* (correctum in *navita sirtes*) genetivum *Syrtidos* coniecit]; Stil. I 334 III 276; rapt. Proserp. III 322.

Et Graece et Latine haec nomina flexit: *Gigantas* Hon. VI 45 — *Gigantes* Hon. IV 534 *Laconas* c. m. 17,37 — *Lacones* c. m. 30,108 *Phrygas* Eutr. I 208 — *Phryges* Eutr. II 244 *Sirenas*[3]) rapt. Proserp. III 190 — *Sirenes* ibid. 205.

Reliquis accusativis Graecam terminationem —ας dedit:

---

[1]) Daigl l. c. pag. 8.

[2]) Welzel l. c. pag. 88.

[3]) Vocabulum *Sirenas* etiam in carm. I Pseudoclaudianei titulo exstat.

Amazonas Fesc. I 32 *Blemyas*[1]) c. m. 28,$_{19}$ *Chaonas* Poll. 135 *Cilicas* Eutr. II 468 *crateras*[2]) Poll. 611 *Cydonas* c. m. 9,$_{46}$ *Dryadas* Fesc. I 22; Hon. VI 200; c. m. 25,$_{17}$ [*—es* V, *—as* PeEA] *Ephyreiadas* Poll. 629 *Hesperidas* Stil. III 335 *Ionas* Eutr. II 239 *Latoidas* app. Claudian. II 61 *Nereidas* Eutr. II praef. 68 *pyramidas* Ruf. II 448 *Stymphalidas* rapt. Proserp. II pr. 37: *Symplegadas* Ruf. I 173; rapt. Proserp. II pr. 37 *Thessalidas* Poll. 237 *Thracas* Ruf. 338 *Titanas* c. m. 53,$_{28}$ *tripodas* Ruf. I praef. 12; Hon. VI 31.

Commodianus Graece flexit: *Cyclopas* instr. I 6,$_{23}$; II 36,$_{3}$ — *Titanas* (Ar. Oehl., *—es* BLD) instr. I 12,$_{3}$; 20,$_{1}$, mutavit: *daemones* instr. I 22,$_{10}$ *martyres* II 17,$_{19}$; 32,$_{6}$.

In summa accusativi pluralis exitus $-\alpha\varsigma$ 65 locis servatur, 13 locis mutatur. Atque servatum invenimus

apud	Florum	in	34	vers.	bis	i. e. semel in			17enis	vers.,
=	Sulpicium	=	78	=	semel	=	=	=	78	=
=	Ps. Ausonium	=	440	=	bis	=	=	=	220	=
=	Ausonium	=	5294	=	15 ies	=	=	=	353	=
=	Ps. Claudian.	=	378	=	semel	=	=	=	378	=
=	Claudianum	=	9850	=	26 ies	=	=	=	379	=
=	Avienum	=	4615	=	11 ies	=	=	=	419	=
=	Nemesianum	=	672	=	semel	=	=	=	672	=
=	Terentianum	=	2721	=	bis	=	=	=	1360	=
=	Commodian.	=	2313	=	quater	=	=	=	578	=

mutatum in *—es*

apud	Reposianum	in	182	vers.	1 ies	i. e. semel in			182enis	vers.,
=	Claudianum	=	9850	=	8	=	=	=	1241	=
=	Avienum	=	4615	=	1	=	=	=	4615	=
=	Commodian.	=	2313	=	3	=	=	=	770	=

Accusativi in $-\alpha\varsigma$ exeuntes apud Florum, Sulpicium, Terentianum Maurum, Nemesianum, Ausonium, in Pseudoausonianis, Pseudoclaudianeis exitum $-\alpha\varsigma$ servant omnes,

apud	Avienum	9,2	servant,	0,8	mutant,
=	Claudianum	7,7	=	2,3	=
=	Commodian.	6,0	=	4,0	=
=	Reposianum	10,0	=	0,0	=

[1]) Cf. pag. 37 et Thes. l. l.: *Blemyes* vel *Blemmyes* (*—ae*). Diiudicari non potest, utrum poeta primae an tertiae declinationis in mente habuerit exitum.

[2]) Invenitur nominativus *crater* vel latine *cratera* (de alio huius generis nominativo cf. pag. 54 adn. 1). Hoc quidem loco metro tertiae declinationis exitus *—ăs* postulatur.

§ 4. De genetivi formis.

1. Genetivus nominum, quorum nominativus in *—os* vel *—on* exit, semper Latine flectitur. Exempla sint: *hesperi Pyrrhi.*

Nomen Ἰησοῦς genetivum praebet: *Iesu* (Iuvenc. I 359; II 28; III 720).

2. Etiam nomina in —ας vel —ης exeuntia ubique genetivum mutant atque genetivus nominum in —ας exeuntium ubique exitum *—ae* prabet, genetivus nominum in —ης excurrentium et in *—ae* exit (*Atridae*) et in *—i* (*Moysi Oronti*) et in *—is* (*Bellerophontis bootis Gangis*); semel Ausonius genetivum flexit per *—ĕī* idque metri necessitate coactus:

carminibus, quae prima tuis sunt condita in armis,
concedit Cei musa Simonidei (prof. 14,6).

3. Etiam nomina in —α exeuntia semper genetivum Latine flectunt: *Asiae hydrae — Ossae Scyllae.*

4. Nomina autem, quorum nominativus Graecus in —η exit, saepissime Graecum genetivi exitum —ης servant[1]).

Apud Sulpicium unum eiusmodi genetivum invenimus: *Beroes* 35. Serenus Sammonicus Graece scripsit: *arachnes* 957, Latine terminavit: *Idae* 424 *myricae* 480. 859. Nemesianus uni nomini Latinam genetivi terminationem concessit: *Libyae* eclog. IV 51; cetera Graece flexit: in eclogis: *Donaces* II 3 *Meroes* IV 50; in cynegeticis: *Calpes* 251 *Circes* 44 *Dirces* 22 *Glauces* 43 *Libyes* 229. Lactantius in carmine de ave Phoenice scripsit *Phoenices* 66 [*Fenicẽ* DE *Fenice* B *Phoenicis* A *Fenicis* C *Phoenicis* edd. vett. *Phoenicem* codd. recent. *Phoenicen* Baehrens *Phoenices* Brandt]; in Pervigilio Veneris invenimus genetivum *Dionae* (v. 77), apud Vespam genetivum *Danaae* i. v. 93. Latine Reposianus quoque genetivum flexit: *Paphiae* (= *Venus* cf. pag. 23 et 50) 61. 109. 139 *Passiphaae* 182; neque aliter Pentadius PLM IV: *Thisbae* 343,9. In Tiberiani carm. II 7 invenitur genetivus Graecus

---

[1]) Neue I^3 l. c. pag. 97 sqq. Sniehotta l. c. pag. 19 sq. Bednara l. c. pag. 355. Zwiener l. c. pag. 60 sqq.

Danaes; apud Porfyrium: *Phoebes* 28,21;23. Avienus utraque terminatione usus est; flexit enim in Arateis Graece: *Amphitrites* 702 *Helices* 144. 158. 260. 379. 413 *Panopes* 1207; Latine: *Hippocrenae* 1010 *Libyae* 1470; in descr. orb. terr. dixit Graece: *Diones* 650 *Ephyres* 579 *Helices* 904 *Leuces* 722 *Selges* 1025; Latine: *Cyllenae* 491 *Daphnae* 1077 *Dodonae* 590 *Europae* 18. 25. 105. 394. 407. 695. 742 [*Europen* A *auropen en* v] *Idae* 985 *Libyae* 18. 21. 105. 272. 386. 407; in ora maritima Latinam tantum terminationem adhibuit: *Alcyonae* 600 *Europae* 203. 333. 353. 375. 418 *Libyae* 332 *Pyrenae* 472. 533. 555. 558 — *Atticae* 48.

Ausonius Graecam terminationem his nominibus dedit: in comm. prof.: *grammatices* 2,2; in epitaph.: *Helenes* 2,3; in Mos.: *Circes* 277 *Helles* 287; in ord. urb. nob.: *Pyrenes* 87. 102; in epist: *Mnemosynes* 4,64, in epigr.: *cynices* 28,1; 28,4 *Hermiones* 97,2, quam vocem etiam in codice Parisino epigrammati superscriptam invenimus, — *Niobes* 51 tit. in carm. III: *rhetorices* 16. Latine terminavit haec: *Andromachae* (techn. 9,13) *Antiphilae* (ibid. 22) *Cretae* (Cup. cruc. 26) *Erigonae* (epitaph. 29,6) *Europae* (Mos. 291) *Helenae* (cent. nupt. 2,42; griph. 10) *Hermionae* (Cup. cruc. 26) *Libyae* (techn. 13,14; epigr. 96,4; carm. III 36) *Paphiae* (parent. 30,2) *Pasiphaae* (epigr. 61,2) *Penelopae* (epist. 9,14) *Persephonae* (epit. 35,7) *rhetoricae* (prof. 2,2) — *grammaticae* (epigr. 46,3).

Claudianus saepius Latina quam Graeca terminatione usus est. Servavit enim Graecum exitum his locis: *Lethes* (rapt. Proserp. I 282 II 218) *Oetes* (Hon. III 114); mutavit autem his locis: *Aetnae* (rapt. Proserp. III 85; 330) *Europae* (Stil. III 281, Hon. VI 104) *Idae* (Eutr. II 279; Stilich. I 264; rapt. Proserp. II 267; III 371) *Libyae* (Ruf. I 288; III 41. 241, Eutr. I 32. 408; II 310; Gild. 63. 146; Hon. III 53; Hon. IV 27. 436; Theod. 24; Stil. I 7. 272; III 13. 100. 288. 333; Hon. VI 104. 110)[1]).

---

[1]) In paneg. de IV. consulatu Honorii versu 107 legit Birtius: *Permixtus sociate iugis* . . codd. Parisinus 18, 552, Neapolitanus IV E 47, Parisinus 8083 praebent *permixtis*, excerpta Florentina: *permitto*, codex Ambrosianus *Pernices*, idem man. rec. Par. 8083. *Pyrenes* Barthius, Heinsius, quos Ieepius secutus est.

Iuvencus scripsit *Libyae* II 709.

In Commodiani instr. libr. I 6,17 scripsit Dehner, quem Dombartus sequitur, *Semeles* (nisus carm. I 12,6)[1]. — Latine terminatur genetivus *Cretae* instr. I 6,16[2]).

In summa genetivi exitus —ης 42 locis servatur, 89 locis mutatur atque servatum invenimus

apud Sulpicium	in	78	vers.	semel	i. e.	semel	in	78enis	vers.,
= Tiberianum	=	92	=	=	=	=	=	92	= =
= Nemesianum	=	672	=	7 ies	=	=	=	96	= =
= Lactantium	=	170	=	semel	=	=	=	170	= =
= Avienum	=	4615	=	14 ies	=	=	=	329	= =
= Porfyrium	=	819	=	bis	=	=	=	409	= =
= Ausonium	=	5294	=	11 ies	=	=	=	481	= =
= Sammonicum	=	1107	=	semel	=	=	=	1107	= =
= Claudianum	=	9850	=	ter	=	=	=	3283	= =
= Commodianum	=	2313	=	semel	=	=	=	2313	= =

mutatum

apud Reposianum	in	182	vers.	quater	i. e.	semel	in	46enis	vers.,
= Pentadium	=	78	=	semel	=	=	=	78	= =
in Perv. Veneris	=	93	=	=	=	=	=	93	= =
apud Vespam	=	99	=	=	=	=	=	99	= =
= Avienum	=	4615	=	31 ies	=	=	=	149	= =
= Ausonium	=	5294	=	17 ies	=	=	=	311	= =
= Claudianum	=	9850	=	28 ies	=	=	=	352	= =
= Sammonicum	=	1107	=	ter	=	=	=	369	= =
= Nemesianum	=	672	=	semel	=	=	=	672	= =
= Iuvencum	=	3217	=	=	=	=	=	3217	= =
= Commodianum	=	2313	=	=	=	=	=	2312	= =

Apud Sulpicium igitur, Lactantium, Tiberianum, Porfyrium omnes genetivi exitum —ης servant,

apud Commodianum	5,0	servant,	5,0	mutant,
= Nemesianum	8,7	=	1,3	=
= Ausonium	4,0	=	6,0	=
= Avienum	3,0	=	7,0	=
= Sammonicum	2,5	=	7,5	=
= Claudianum	1,0	=	9,0	=

apud Reposianum, auctorem Perv. Veneris, Pentadium, Vespam, Iuvencum omnes exitum mutant.

---

[1]) In codd. locus est corruptus: *es medis* C, *Ganymedis* A[t] E[2] r[2] in lemmate adnotationis, *Alcmenes* editio Rigalti in textu. Cf. etiam Scheifler pag. 12.

[2]) *Cretae regnavit* Hanssen (cf. Minuc. Felix 21,8 *Cretae regnavit illic obiit*); *hor& in regna ū* C, *in Creta regnavit* BArv; *Cretam* Dehner.

5. Tertiae declinationis nomina saepius Latinum genetivum *—is* praebent; nonnulla Graece flectuntur[1]). Ac primum afferantur genetivi in —ος exeuntes.

Genetivus nominum in —ις, —ιδος exeuntium quinto quoque loco exitum —ος servat. Ac si singulos poetas respicimus, invenimus apud Sammonicum genetivum: *Doridis* Latine flexum, apud Lactantium genetivum: *Phasidis*, apud Pentadium: *Busiridis*, apud Tiberianum: *Cypridis*, in Pervigilio Veneris: *Cypridis*; Nemesianus ubique Graecum exitum servavit in cyneg.: *Byblidos* 26 *Colchidos* 42 *Persidos* 72; Avienus et Graeca et Latina terminatione usus est. Graece flexit in Arat.: *Cynosuridos* 443. 509 *Doridos* 1207; in ora marit.: *Zephyridos* 238; idem genetivus in versu 564 Latine terminatus est: *Zephyridis*; praeterea in *—is* exeunt hi genetivi: *Athamantidis Colidis Elidis Gangetidis Iapygis Libystidis Maeotidis nebridis Ophietidis Pallenidis Patareidis Phasidis Persidis Serbonidis Thetidis Tritonidis.*

Ausonius Graece flexit in Mosella: *Nepheleidos* 287 *Ptolemaidos* 311; Latine: *Laidis Propontidis.*

Claudianus Latina tantum terminatione usus est: *Busiridis Isidis Themidis Thybridis Tigridis;* de genetivo *Syrtidos* quem Ieepius (Hon. IV 438) pro accusativo *Syrtes* coniecit cf. pag. 61.

Etiam nomina in —ας, —αδος vel —αντος exeuntia saepius mutant quam servant genetivi exitum —ος.

Geta mutavit genetivum: *Palladis*; Sammonicus: *elephantis* 547 [*—fanti* O] *Palladis*, servavit: *Iliados* 907 [*—is* B].

Avienus servavit: genetivum: *lampados* (Arat. 1752); mutavit: *lampadis* (Arat. 1632), *Coliadis.*

Ausonius servavit protrept.: *Iliados* 2,46; ecl.: *Pallados* 16,4; Mos.: *Leucados* 214; urb.: *Pallados* 87; Cup. cruc.: *lampados* 50; epist.: *Arcados* 20,7; mutavit genetivos: *Atlantis Hamadryadis Symplegadis.*

Claudianus Graece flexit genetivos: *Arcados* (Hon. III 165) [*—is* PABII] *Pallados* (Stil. III 210) [*—os* EA, *—is*

[1]) Neue I³ pag. 449 sqq. Sniehotta l. c. pag. 21. Zwiener l. c. pag. 63 sqq.

VPIIB|; Latine: *Atlantis Mimantis Pallantis*; in append. Claudianea invenimus genetivum: *Palladis* XIV 4.

Commodianus scripsit *hebdomadis* carm. apol. 834.

Neque aliter genetivus nominum in —ων exeuntium flectitur. Graece enim terminatur apud Nemesianum in cyneg.: *Babylonos* 72 |—*is* B|; apud auctorem perioch. Odysseae: *Lacedaemonos* 4,1; praeterea apud Terentianum Maurum: ἀπ' ἐλάσσονος 1504. 1511. 1522. 2056. 2079. 2092 ἀπὸ μείζονος 1502. 1527. 2021. 2073. 2078. 2088. 2868; Latine autem apud Getam: *Strymonis*; apud Avienum: *Lycaonis Orionis Pandionis Thermodontis*; apud Ausonium: *Chilonis Chironis Draconis Laconis Leonis Melonis Metonis Myronis Palaemonis Platonis*; apud Claudianum: *Aegaeonis Babylonis Heliconis Dolonis Leonis Pharaonis Platonis Phlegethontis*; apud Iuvencum: *daemonis Simonis*; apud Commodianum: *daemonis Salomonis*.

De *Apollinis* nomine cf. pag. 55: invenitur genetivus *Apollinis* apud Vespam (v. 11), apud Ausonium (epigr. 95,7), apud Claudianum (Stil. III 60).

Nomen *Tethys* ubique genetivum Graece flectit: *Tethyos* (Porfyr. 5,15 — Avien. Arat. 100. 1122 — Claudian. Prob. 35; Hon. III 58; Hon. IV 597; rapt. Proserp. III 320; c. m. 27,16.

At genetivus nominum *aer* et *aether* semper Latine flectitur, neque aliter genetivus nominum in —*ax*, —*yx*, —*ar*, —*or*, —*s*, —*en* exeuntium; invenimus apud Sammonicum genetivum: *splenis*; apud Lactantium: *aetheris*; apud Terentianum: *Hipponactis Nestoris*; apud Nemesianum: *Araris Erycis*; apud Avienum: *aeris aetheris chalybis Pelopis Thracis*; apud Ausonium: *aeris Hectoris rhetoris Aiacis*; apud Claudianum: *Araris nectaris*.

Neutra quoque per —*α* terminata genetivum Latine flectunt: *commatis* (Terentian. 1020. 2781. 2817) *baptismatis* (Auson. X 23) *nomismatis* (Iuvenc. IV 10).

Neque aliter genetivus nominum in —ης (g. —ους) exeuntium flectitur. Invenimus hos: apud Sammonicum: *Pherecydis*; apud Terentianum Maurum: *Aristo-*

phanis Euripidis; apud Avienum; *Diomedis*, idem apud Claudianum; apud Ausonium: *Antisthenis Diomedis Menecratis* Mos. 307 [*—os* codd. corr. Scal.].

Nomen πέλαγος semper alterius declinationis exitum *—i* praebet (cf. pag. 34 et 60).

Nomen μέλος Terentianus Graece flexit: *meleos* (edit. pr. *melius*) 1922.

Nomina, quorum nominativus in —ω, genetivus in —ους exit, vel hanc terminationem servant vel mutant. Graeca terminatione usus est Nemesianus in cyn. 31: *Ius* et Sulpicius in v. 10: *Didus*; Ausonius Latine flexit: epigr. 33 tit. *Sapphonis*[1]). Claudianus genetivum nominis Γοργώ Latine terminavit: *Gorgonis* rapt. Pros. II 26 [*—os* C], II 205 [*—os* CB^1A^1, *—is* FSA^2WD].

Nomina in —ευς exeuntia aut servant exitum Graecum genetivi, sed correpta ultima: *ĕŏs*, aut mutant in *—ei*, ita ut aut unam aut duas syllabas terminatio *—ei* efficiat[2]).

In Pervigilio Veneris legimus in v. 86:
adsonat Tere͡i puella;
apud Vespam in fine hexametri versus 86: *Promethe͡i*. In Nemesiani cyneg. v. 272 legimus: *Neri* [A, *nerei* A, m. rec. corr. BC]. Avienus correpta terminatione *—ĕŏs* usus est in Arat. v. 1291: *Perseos*; genetivum *Nere͡i* invenimus in Arat. v. 1762, in descr. orb. terr. v. 189 et 540.

Apud Ausonium legimus in epistula 21.2,6: *Perseï*, in comm. prof. Burd. 9,3: *Menesthe͡i*, in carm. XXIX 28: *Tereos;* in griph. 74: *Orpheos*; in Mosella 284: *Nereos*; etiam auctor perioch. Iliad. semel terminatione *—eos* usus est, sed *—e* vocali producta —ῆος: *Peleos* (— — ⏑) I 1[3]).

Claudianus Graece scripsit *Proteos* (Hon. 51).

---

[1]) Codd. varias lectiones praebent: *Sapphus* (*Sapphionis* M) Mpp^{2}vv^{2}E vulgo; nullum lemma Tmu; in append. Ausonian. epigr. 2 tit.: *Didonis*.

[2]) Cf. Neue I^3 pag. 505 sq. Bednara l. c. pag. 44. Sniehotta l. c 22 sq. Zwiener l. c. pag. 66 sq.

[3]) Cf. Brandes, Beiträge 1902 pag. 24.

In **summa** Graecus exitus 51 locis **servatur**, 184 locis mutatur; atque servatur

apud	Sulpicium	in	78	vers.	semel	i. e.	semel in	78enis	versibus,
=	Terentianum	=	2721	=	14 ies	=	=	=	194	=	=
=	Nemesianum	=	672	=	5 =	=	=	=	134	=	=
=	Ausonium	=	5734	=	13 =	=	=	=	441	=	=
=	Avienum	=	4615	=	8 =	=	=	=	577	=	=
=	Porfyrium	=	819	=	semel	=	=	=	819	=	=
=	Sammonicum	=	1107	=	semel	=	=	=	1107	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	8 ies	=	=	=	1231	=	=

mutatur

apud	auct. Ponticon	in	22	vers.	semel	i. e.	semel	in	22enis	vers.,
=	= Perv. Veneris	=	93	=	bis	=	=	=	47	=	=
=	Vespam	=	99	=	bis	=	=	=	50	=	=
=	Avienum	=	4615	=	62 ies	=	=	=	73	=	=
=	Pentadium	=	78	=	semel	=	=	=	78	=	=
=	Lactantium	=	170	=	bis	=	=	=	85	=	=
=	Tiberianum	=	92	=	semel	=	=	=	92	=	=
=	Ausonium	=	5294	=	37 ies	=	=	=	143	=	=
=	Sammonicum	=	1107	=	6 ies	=	=	=	185	=	=
=	Ps. Claudianum	=	372	=	bis	=	=	=	186	=	=
=	Ps. Ausonium	=	440	=	bis	=	=	=	220	=	=
=	Nemesianum	=	672	=	ter	=	=	=	224	=	=
=	Getam	=	461	=	bis	=	=	=	231	=	=
=	Claudianum	=	9850	=	37 ies	=	=	=	266	=	=
=	Terentianum	=	2721	=	7 ies	=	=	=	389	=	=
=	Iuvencum	=	3217	=	10 ies	=	=	=	322	=	=
=	Commodianum	=	2313	=	quater	=	=	=	578	=	=

Omnes igitur genetivi servant Graecum exitum apud Sulpicium et Porfyrium;

apud	Ps. Ausonium	3,3	servant,	6,6	mutant,
=	Terentianum	6,6	=	3,3	=
=	Nemesianum	6,0	=	4,0	=
=	Ausonium	2,4	=	7,6	=
=	Claudianum	1,8	=	8,2	=
=	Sammonicum	1,4	=	8,6	=
=	Avienum	1,1	=	8,9	=

apud ceteros omnes exitum genetivi mutant.

6. **Genetivus pluralis** perpaucis nominibus exceptis Latine flectitur[1]) per *—orum, —arum, —um.* In —ων exeunt haec nomina: *Byzeron* (Avien. descr. 945 [A, *—um* v]), *Mariandinon* ibid. 960 [A, *—um* v], *mython* Auson. prof. 22,26.

---

[1]) Neue I^{3} pag. 485. Sniehotta l. c. pag. 24.

Interdum poetae pro —*orum* vel —*arum* posuerunt —*um* ut Avien. in descr. 558: *Macetum*[1]).

§ 5. De dativi formis.

Dativi singularis formae ubique fere terminationes Latinas praebent, ut nominum secundam sequentium declinationem dativus in —*o*, primae declinationis in —*ae*, tertiae in —*i* exeat. Dativus nominis *pelagus* ubique alteram Latinam declinationem sequitur; nomen *Titan* apud Commodianum in instr. I 20,3 praebet dativum *Titano*.

Nomina per —ευς terminata dativum aut Latinorum rationi adaptant (*Pentheo* Vesp. 85) aut per —*ei* finiunt: (*Orphēi* Claudian. c. m. 31,33.)

Dativus pluralis semper Latine flectitur.

§ 6. De ablativi formis.

Ablativus quamquam apud Graecos non invenitur, tamen apud poetas Latinos non nusquam Graecum exitum praebet. Atque ablativus nominum in —ος vel —ον vel —α exeuntium ubique Latine terminatur: *arcto* — *metro* — *Ionia*.

Eodem modo flectuntur nomina in —ας exeuntia: *Borea*, *Cinea*, *Sosia*. Nomina autem in —ης desinentia saepius ablativi exitum —*e* praebent: *Leucate* Auson. Cup. cr. 24[2]); *Araxe* Claudian. Eutr. II 569; *Niphate* ibid. I 16; *Moyse* Commodian. CA 192. 334. Latina terminatione Ausonius usus est, cum scriberet: *Alcida* (epigr. 28.3) *Laerta* (epitaph. 6.1).

Nomina in —η exeuntia plerisque locis terminationem —*e* praebent. Inveniuntur enim hi ablativi in —*e* exeuntes: *Cythere* Auson. epigr. 102.1; *Meroe* ibid. 19.10; *Pasiphae* ibid. 58,2; *Progne* Serenus 1014; *Sige* Avien. ora 46; *strophe* Terentian. 2803; *tome* ibid. 310. 1748. 2856 (= graec. dat. στροφῇ, τομῇ) et in tit. quibusdam carminum: *Niobe* (Auson. epitaph. 28) *Penelope* (app. Ausonian. epigr. 23); *Polycaste* (Claudian. c. m. 8).

---

[1]) Daigl. l. c. pag. 6. E. Wöffllin Arch. f. l. Lex. XI 504. L. Mueller, De re metr.[2] 474.

[2]) Cf. Neue I[3] 61. Meurer l. c. p. 12. L. Mueller, De re metr.[2] 419.

Latine autem terminantur ablativi, quorum etiam nominativus Latine terminari solet: *Aetna* (Claudian. rapt. Proserp. III 438); *Creta* (Commodian. instr. I 5,1); *Cyrena* (Iuvenc. IV 654); *Europa* (Avien. descr. orb. terr. 861); *Ida* (Claudian. Stil. III 251; Porfyr. 27,13); *Libya* (Avien. descr. 349); *Mytilena* (Auson. lud. 202); *stropha* (Commodian. instr. I 7,3).

Nomen *pelagus* semper ablativi terminationem —*o* praebet.

Latinum exitum Claudianus etiam ablativo nominis *Typhoeus* dedit: *Typhoeo* (b. Poll. 63).

Bis Terentianus Maurus ablativum Graeco dativo expressit: ἄρσει θέσει 1350 (*arsi thesi* 1380, *arsi* 1434, *thesi* 1409). Ceteri tertiae declinationis ablativi per —*e* terminantur vel interdum, si nominativus exit in —*is*, per —*i*.

Atque ablativos per —*e* terminatos poetae persaepe in ultimo hexametri dactylo posuerunt.

Ablativus pluralis ubique Latinas terminationes praebet: *Delphis* — *Amyclis* — *Syrtibus*.

§ 7. **De nominibus quibusdam incertis et heteroclitis.**

Sunt praeterea nomina, quae non solum terminandi sed etiam declinandi rationem apud singulos poetas mutent[1]). Agitur praecipue de nominibus, quae per metaplasmum Latino ori adaptata sunt: *delphinus elephantus Titanus*.

Ac primum afferatur nomen δελφίν, quod in declinandi ratione fluctuat inter Latinam tertiam et secundam declinationem. Invenimus enim nominativum tertiam sequentem declinationem in Avieni Arat. v. 700: *delphis;* in eiusdem libri v. 1117 Latinum nominativum *delphinus*. Formam Graecam *delphin* legimus in carminis pseudoausonian. de sign. cael. v. 5. Accusativus plerumque secundum tertiam declinationem flectitur idque Graece: *delphina* (Auson. Mos. 137; Claudian. Eutr. I 355; II pr. 73; n. Hon. 156); accusativum *delphinum* in Avieni Arat. v. 1260 invenimus.

[1]) Zwiener l. c. pag. 107 sqq. L. Mueller, De re metr. [2] 493.

Praeterea legimus apud Avienum in Arat. v. 309 accusativum pl. Latine terminatum: *delphinos*, et dativum pluralem in carmine quod c e l e u m a inscribitur (PLM III pag. 167 v. 10) *delphinis.*

Similiter flectitur nomen ἐλέφας, atque nominativus modo per *—ans* modo per *—as* terminatur: *elephans* Seren. Sammon. 128 *elephas* Claudian. Stil. III; genetivus apud Sammonicum (v. 547) Latinam tertiam declinationem sequitur: *elephantis*; ablativus in epigr. pseudoausonian. 20,1 Latinum exitum *—o* praebet: *elephanto*; accusativus quoque pluralis Latine flectitur: *elephantos* (Avien. descr. orb. 777).

Nomina *Achilles* et *Ulixes* eodem fere modo atque nomina in —ης exeuntia flectuntur. Atque Ἀχιλλεύς nominis nominativum *Achilles* invenimus in carminis quod V e r b a A c h i l l i s inscribitur versu 58 et apud C l a u d i a n u m Hon. III 60 et c. m. 22,13; genetivus et per *—is* et per *—ei* flectitur: *Achillis* Verb. Achill. tit.; *Achillei* perioch. Iliad 1,2; *Achilli* Auson. epist. 25,108; dativus in *—i* exit: *Achilli* (Terentian. 273; Auson. epit. 5 tit.; Claudian. Fesc. I 7; Ruf. II 180; Hon. IV 367; Stil. I 99. 268; c. m. 46,2); accusativus exitum *—em* praebet: *Achillem* (Claudian. n. Hon. 16; praef. 19; Hon. IV 557; Auson. protrept. 2,20; perioch. Iliad. 10,2).

Nominativum *Ulixes* invenimus apud Ausonium (prof. 15,7; epit. 6,1), apud auct. perioch. Odyss. 6. 16. 19. 20. 22; apud Claudianum Ruf. I 124.

Genetivus per *—ei* terminatur: *Ulixeï* Auson. epist. 16.2,13 *Ulixe͡i* Auson. epist. 25,107; dativus in *—i* exit: *Ulixi* epitaph. 6 tit.

Accusativus semel invenitur atque Graece per —ην terminatur: *Ulixen* Claudian. c. m. 30,145.

De origine nominum *Achilles* et *Ulixes* Sniehotta[1]) et Zwiener[2]) fusius egerunt.

---

[1]) Sniehotta l. c. pag. 30 sq.

[2]) Zwiener l. c. pag. 114 sqq.

Caput II.

Quibus causis poetae Romani ut terminationes Graecas servarent commoti sint.

§ 8. De nominibus quae plane in sermonem Romanorum transierunt.

Nomina Graeca ratione certa perscrutati postquam cognovimus quomodo flectantur, restat ut quaeramus, quibus causis poetae, ut eorum Graecas terminationes aut servarent aut mutarent, commoti sint. Qua de re multa iam docuerunt Sniehotta Bednara Zwiener alii, qui de usu poetarum priorum aetatum egerunt. Nam has rationes etiam poetas eius de qua nos quaerimus aetatis plerumque secutos esse consentaneum est.

Ac primum pauca verba faciam de nominibus, quae in sermonem Romanorum cottidianum transierunt. Est autem eiusmodi nominum species partim quam simillima vocibus Latinis — agitur enim plerumque de nominibus appellativis, quae aut primam aut secundam sequuntur declinationem — partim per metaplasmum ori adaptata sunt Latino. Hae voces quasi vernaculae factae iam nolunt peregrinae esse et tamquam si eas puderet vestem Graecam plane exuerunt; qua de causa eas seiunxi[1]).

Multo serius poetae Graecas terminationes servare ausi sunt, quod novum genus poetae neoterici in poesin Romanam introduxerunt. Atque „nomina Graeca, quae Graecorum more flexa erant, primum quam maxime evitata ac reiecta postquam inde a Ciceronis aetate in sermonem poeticum Romanorum introducta sunt, tanta vi versus heroos Latinos occuparunt, ut apud plerosque poetas rariora exstent illa nomina quae prisco more Latinae linguae adaptata sunt“[2]). Valde autem erraremus, si poetas, prout cuique libebat, modo Graecam modo Latinam terminationem singulis vocibus Graecis dedisse putaremus. Poeseos principes aureae aetatis, qui et formas et fabulas

[1]) Cf. pag. 8 sq.

[2]) Sniehotta l. c. pag. 69; cf. etiam L. Mueller, De re metr.[2] pag. 487.

et mores Graecorum in deliciis habebant, normas certas excoluerant dicendi, quas posteriores anxie, paene dixi serviliter servabant.

Denuo lingua Romana novum genus nominum Graecorum recepit, cum christianorum dogmata et historia sancta Romam pervenissent Romanorumque mentes et animos occuparent[1]).

§ 9. **De adiectivis.**

De nominibus adiectivis ab aliis nominibus derivatis (—ιος, —ικος, —ειος) idem fere dicendum est atque de his, quae plane in usum Romanorum transierunt, nam ubique fere terminationem Latinam praebent. Atque vocativus genetivus dativus ablativus, item nominativus et accusativus pluralis semper Latine flectuntur; nominativus tantum et accusativus singularis perpaucis locis certis de causis, de quibus infra agetur, Graecum exitum servant.

Latine autem terminata nomina derivata velut *Acheloius Lesbius Persicus* — *Achaica Cadmeia Cyllenaea* — *Aonium Atlanticum Oetaeum* plus 500 locis inveniuntur. Quae omnia afferre longum est.

§ 10. **De grammaticis rationibus.**

Iam ad rem ipsam accedamus et primum quantum grammaticae rationes in servandis vel mutandis terminationibus valuerint inquiramus.

1. Paucis tantum verbis nomina pertractentur, quorum terminationes poetae servant, quoniam et Latine et Graece easdem formas praebent. Tales terminationes sunt primae declinationis exitus —*α* impurum: *Arethusa Ossa* alia, accusativus pluralis, qui et Graece et Latine in —*as* exit: *Athenas* — *Scipiadas*, secundae autem declinationis vocativus singularis: *Antaee Christe*, neutra pluralis: *balsama tympana*.

Tertiae declinationis eodem modo et Graece et Latine terminantur nominativi nominum in —*is*, —*as*, —*ax*, —*s*, —*yx*,

[1]) Cf. pag. 9.

—an, *—en*, *—or*, *—er* exeuntium[1]), praeterea neutra per *—α*, —ατος terminata, dativus singularis in *—i* excurrens[2]).

2. At interdum poetae nomina usurpanda erant, quorum terminationes linguae tantum Graecae propriae Latino ori nullo modo adaptari potuerunt. Quae cum ipsa specie a Romanae grammaticae ratione abhorreant, rarissime inveniri mirum non est; tamen ut ea omnino poetae vitarent, fieri non potuit.

Ac primum quidem hoc loco afferantur nomina in —υς (genet. excurrente in —υος) exeuntia[3]), quorum neque nominativus neque accusativus singularis Latinae declinationi adaptari possunt.

40 locis nominativum in —υς exeuntem invenimus nominum *chlamys chelys dibrachys Erinys Halys Othrys Rhadamanthys Tethys Tiphys tribrachys,* bis Terentiani editio princeps praebet lectionem *tribrachus.*

Accusativum 20 locis invenimus per —υν terminatum (cf. pag. 116 sq.) *chelyn* δίβραχυν *Halyn Ityn Tethyn Tiphyn tribrachyn,* semel invenimus accusativum *Tethya* (Pontic. 1); semel Terentianus terminationem *—ym* adhibuisse videtur in v. 2893: *tribrachym,* nisi hoc loco corruptelam statuere malumus; idem enim accusativus 8 aliis locis Graece flectitur (singulos attuli pag. 59).

Genetivus ubique Graecam terminationem praebet: *Tethyos* (cf. pag. 67).

Nominativus pluralis fluctuat inter *—es* et —ες, de quo infra agetur simul cum ceteris nominativis pluralis.

Neutra tertiae declinationis in —ος exeuntia praeter nomen *pelagus*, quod ubique Latine flectitur, et in nominativo et in accusativo Graecum exitum servant.

Invenimus nominativos: *cetos chaos* (cf. pag. 34), accusativos: *chaos epos melos* (cf. pag. 60).

---

[1]) Nomina Graeca per —ωρ terminata hunc exitum corripere satis notum est (cf. Zwiener l. c. pag. 31). Nostri quoque poetae sive per analogiam ceterarum in *—ŏr* (cf. Neue I pag. 168) exeuntium formarum, ut *algŏr amŏr*, sive usu inveterato commoti exitum —ωρ corripuisse videntur, quamquam saepissime nihil certi dicere possumus, cum eiusmodi nomina plerumque in fine versus aut in positione exstent. De nominibus in *—er* exeuntibus idem fere dicendum est.

[2]) Maxima pars harum formarum in fine versus exstat; ceteris locis poetae, prout metrum postulabat, aut Graecum exitum —ῑ aut Latinum *—ĭ* posuerunt.

[3]) Cf. pag. 33 sqq.

Unum nomen in —ους excurrens adhibuit Claudianus: *Melampus*[1]) Eutr. I 315.

Saepius poetae nominibus per —ως terminatis usi sunt.

Septem eiusmodi nomina 17ies nominativi formam Graecam servant (cf. pag. 35): *Athos Cos dyseros heros Minos Tros* Ἔρως.

Accusativum *Athon* Claudianus semel adhibuit Stil. I 127.

Etiam nomina in —ω exeuntia ubique hanc terminationem nominativi et accusativi servant.

53 locis invenitur nominativus nominum: *Allecto Argo Callisto Calypso Celaeno Clio Deo Dido Doto Echo Enyo Erato Sappho Theano Thero* (cf. pag. 35); bis accusativum invenimus: *Argo echo* (cf. pag. 60).

Genetivus in versu praebet exitum —ους: *Didus* (Sulpic. 10) *Ius* (Nemesian. ecl. III 1), in titulis carminum exitum —*onis*: *Epist. Didonis*; Auson. epigr. 33: *Sapphonis*; pseudoauson. epigr. 2: *Didonis*; genetivus nominis Γοργώ bis apud Claudianum praebet exitum *Gorgŏnis* (rapt. Pros. II 26. 205).

§ 11. Quantum usus ad servandas vel mutandas terminationes valuerit.

1. De nominibus geographicis.

a) Sniehotta (pag. 44 sq.) et Zwiener (pag. 129 sq.) demonstraverunt nomina geographica in —ος vel —ω exeuntia plerumque Graecas terminationes servasse; imprimis „nomina urbium et insularum, siquidem significant urbes Graeciae ipsius et insulas Cycladum, ad unum omnia Graecam terminationem praebere“, quem „usum poetas etiam ad plerasque reliquas urbes et insulas detulisse“ demonstravit Zwiener. Eius de qua nos quaerimus aetatis poetae hanc regulam iam non tam diligenter servant; tertia enim pars nominum urbium et insularum Graece terminatur.

Atque Graecorum more flectuntur haec nomina urbium et insularum: *Byblos Cnosos Corinthos Delos Lemnos Lygos Pharos Saguntos*; fluctuant inter —*os* et —*us*: *Cypros* (Claudian. Eutr. II 21) *Cyprus* (Avien. descr. 681. Claudian. Eutr. II 72) — *Rhodos* (Auson. griph. 71) *Rhodus* (Avien. descr. 677) — *Samos* (Avien. ora 45) *Samus* (ibid. descr. 703. 713) — *Scyros* (Verb. Achill. 80) *Scyrus* (Avien. descr. 699); in —*us* exeunt: *Abydus Berytus Carpathus Caunus Chius Corycus*

[1]) Sed exstat etiam forma Μέλαμπος.

Cyrnus Damascus Ebusus Ephesus Imbrus Lesbus Lyrnessus Marathus Sestus Tartesus Thasus Telmisus Tenedus Tyrus.

Multo rarius accusativus Graece flectitur.

Bis enim tantum accusativum in ον exeuntem invenimus: *Delon* Claudian. c. m. 53,115; rapt. Pros. I 136; sed Latine Avien. descr. 704. Latine autem terminantur: *Corinthum Cyrnum Cyprum Delum Epidaurum Gnidum Lemnum Peparethum Tartesum Tenedum Tyrum.*

Maxime Avienus Graecam terminationem sprevit; 15 ies enim nominativum eiusmodi nominum Latine, quater tantum Graece, accusativum ubique Latine flexit.

Nomina terrarum montium fluviorum astrorum ventorum multo rarius Graeca terminatione utuntur, decima enim tantum pars Graecum exitum servat.

Nomen *Aegyptus* et Latine et Graece flectitur. Latinam terminationem adhibet Lactantius, Graecam Ausonius.

Nomina *arctus eurus notus* persaepe Latine flectuntur, tamen non desunt apud Avienum et Claudianum Graecae terminationes[1]).

Etiam nomen *scorpios* saepius Latinam quam Graecam terminationem praebet; exitum *—os* bis invenimus (Auson. eclog. 9,10. Avien. Arat. 239), Latine autem nomen ab Avieno novies flectitur.

Inter Graecam et Latinam terminandi rationem etiam nomen fluminis *Cephisos* fluctuat. Avienus terminat per *—us* (descr. 600), Claudianus et per *—us* (rapt. Pros. II 136) et per *—os Cephisos* (Ruf. I praef. 10).

Praeterea Graece flectuntur: *Cocytos Isthmos Pachynos.*

Latinam autem terminationem haec nomina praebent: *Achelous Aesarus Alpheus Amnisus Aponus Bosphorus Bostrenus Caucasus Centaurus Cragus Cydnus Delphinus Epirus Eridanus Eurus Hebrus Haemus Hellespontus Hesperus Indus Libanus Molus Nilus Oceanus Ophiuchus Oxus Pactolus Parnasus Pelius Fontus Roscynus Sangarius Sellus Sirius Sordus Sperchius Tartesus Taurus Xanthus Zephyrus — Cymander Hister Maeander.*

Neque aliter accusativus adhibetur.

Graece terminantur accusativi: *Aponon Cocyton*; et Graece et Latine: *arcton* (Avien. Arat. 138 al.; Claudian. Prob. 22 al.) — *arctum* (Avien. Arat. 1804), ceteri accusativi Graecam terminationem spreverunt: *Aegyptum Centaurum Delphinum Erebum Eridanum Erymanthum Epirum Eurum Euxinum Hebrum Hellespontum Haemum Hermum Histrum Ilissum Indum Libanum Maeandrum Nilum Oceanum Olympum Ophiuchum Pergum Pontum Sangarium Sirium Taurum.*

Neutra et Graece et Latine flectuntur.

Latine terminatur nominativus *hemeroscopium* (Avien. ora 476); Graecam terminationem servant nominativi: *Pelion* (Claudian. Ruf.

[1]) Singulos locos supra attuli pag. 10 sqq.

II 44 al.) *Poetaneon* (Avien. ora 199), accusativi: *Cinnamon* (Lactant. 83) *Pelion* (Claudian. n. Hon. 115 al.).

His omnibus locis exitus —*on* vocali insequente postulatur.

b) Nomina geographica, quae per —ης (genetivo in —ου exeunte) terminantur. hunc nominativi exitum ubique servant.

Inveniuntur nominativi: *Araxes Bootes Coaspes Euphrates Ganges Hydaspes Iordanes Niphates Orontes.*

Accusativus horum nominum fluctuat inter —*em* et —*en.*

Graece flectuntur accusativi: *Booten Choaspen Euphraten Gangen Iordanen Hydaspen*[1]) *Tigranen.*

Latine terminantur: *Araxem Niphatem Orontem.*

c) Iam ad nomina geographica pergamus, quae in —η exeunt. Haec quoque plerumque Graecam terminationem servant; pauca tantum atque notissima hic illic mutantur.

Servant Graecum exitum haec: *Achale Aganippe Barce Bergine Calpe Cartare Cerne Cimmanice Cyrene Dodone Ephyre Helice Hippocrene Hiverne Iope Laodice Leuce Libye Lipare Lyrbe Menace Mycale Patalene Perge Peuce Phaenagore Priene Rhodope Side Sinope Sophene Spatale Strongile Syene Taprobane Thrace Thyle Traete.*

Nomen *Ide* Claudianus bis Graece terminavit (n. Hon. 18; rapt. Pros. I 207), semel mutavit: *Ida* (c. m. 4,8); eadem terminatione Avienus ter (descr. 675. 676. 815) usus est. Praeterea haec mutantur: *Aetna Creta Europa Pallena* — *Thessalonica* (voc.).

Accusativus quoque nominum tantum notissimorum exitum mutat.

Hos enim accusativos Latine terminatos invenimus: *Aetnam Cretam Europam* (Avien. decr. 28 al. — Auson. parent. 5,15 al. 13 ies; semel Claudianus scripsit *Europen* Gild. 4, ubi codices fluctuant inter —*en* et —*am*) *Idam Libyam.*

Reliqui accusativi servant formam Graecam: *Hippocrenen Ivernen Oeten Pyrenen Rhodopen Sinopen Sordicen Syenen Tarnen Thracen Thylen.*

Quin etiam genetivum poetae interdum Graece flexerunt: *Calpes Ephyres Helices Leuces Lethes Oetes Phoenices Pyrenes Selges;* Latine autem flectuntur genetivi: *Aetnae Apamenae Cretae Cyllenae Dodonae Europae Hippocrenae Idae Libyae*[2]) *Pyrenae.*

Atque interdum genetivi Graecum exitum ante vocalem insequentem servant, de qua re infra agetur.

---

[1]) In paneg. d. Prob. 80 codd. praebent *Hydaspem*, quod Ieepius et Kochius correxerunt in *Hydaspen.*

[2]) Semel Nemesianus ante vocalem insequentem servavit Graecum exitum *Libyes* cyneg. 229.

2. Nomina gentium, quae secundam sequuntur declinationem, ubique Latinum exitum praebent.

Haec a poetis nostris adhibentur: *Achaeus Colchus Gelonus Hiberus Lydus Maurus Medus Moesus Mysus Parthus Thessalus.*

Nomina gentilia, quae Graece in —ης exeunt, plerumque Graecum exitum mutant.

Graece flectuntur: *Massagetes Perses Sauromates;* et Graeca et Latina terminatione haec nomina utuntur: *Getes* (Auson. VI 32) — *Geta* (id. techn. 9,22; Avien. descr. 442). *Scythes* (Terentian. 17) — *Scytha* (Avien. descr. 244 al.; app. Ausonian. III 1 tit.); Latinam terminationem praebent nominativi: *Chalonita Pisida Sarmata* accusativi: *Lapitham Persam.*

3. De nominibus deorum et dearum, heroum et mulierum celebrium.

a) Nomina deorum et heroum et virorum illustrium, quae Graece in —ος exeunt, ubique fere Latinam terminationem exhibent.

Graecum exitum praebet *Tityos* (Claudian. Ruf. II 515. Hon. III 160; sed Latine *Tityus* rapt. Pros. II 338)[1], Latine autem multo plus trecentis locis haec nomina flectuntur: *Aeacus Aeolus Alcinous Antichristus Antiochus Aratus Archebulus Archilochus Aristarchus Aristippus Ascanius Attalus Bacchus Bartholomaeus Cadmus Cacus Callimachus Christus Chrysus Chromius Cleobulus Clonus Croesus Cyrus Daedalus Deiphobus Democritus Didymus Diodorus Dionysius Enceladus Epicurus Euandrius Eucherius Euhius Eunomus Euryalus Eutropius Glaucus Harpalus Hecataeus Hellanicus Hermaphroditus Herodotus Hesperus Homerus Hosius Hyacinthus Hymenaeus Ibycus Icarus Ictinus Iacchus Iolaus Iulus Lazarus Linus Lyaeus Lycurgus Matthaeus Meliboeus Menelaus Mopsus Myrtilus Narcissus Nicolaus Nisus Nyctilus Oeagrius Oebalus Olybrius Paulus Pausimachus Petrus Phalaecus Philippus Phoebus Pindarus Pittacus Polydorus Polyphemus Porus Priapus Pyramus Pyrrhus Ptolemaeus Sisyphus Stephanus Syriscus Tantalus Telephus Theodorus Theudosius Tityrus Tlepolemus Troilus Uranius Zaleucus Zephyrus — Alexander Meleager Periander.*

Accusativum quoque poetae ubique fere Latine flexerunt. Graecam terminationem pauci tantum accusativi atque omnes fere ante vocalem insequentem praebent.

Inveniuntur hi Graece terminati acausativi: *Archilochon Clonon Euandron Dionyson Oebalon Patroclon Rhoeton Tityon Triptolemon;* Latine autem terminantur: *Aglaum Alethium Arcadium Aristaeum Bacchum Branchum Callinoum Christum Darium Enceladum Euphemum Eurypylum Eutropium Glaucum Hermaphroditum Hesperum*

[1]) De hoc nomine cf. Sniehotta l. c. pag. 43, Zwiener l. c. pag. 132.

Hippolytum Hippothoum Iacobum Matthaeum Lazarum Narcissum Paulum Petrum Perithoum Philippum Phoebum Phrixum Polydorum Porum Pyrrhum Rhesum Seleucum Stesichorum Theudosium Zebedaeum Zephyrum.

At nomina virorum, quae primam declinationem sequuntur, ubique fere Graecum exitum servant.

4 tantum nomina in —*as* exeuntia Latine flectuntur: *Aenea Chaerea Marsya Mida*; cetera servant exitum —*as*: *Achilas Amyntas Aeneas Belias Critias Elias Esaias Hieremias Hylas Idas Iollas Iudas Lucas Lycidas Pelias Pythagoras Sosias Thomas Timetas Tiresias Zacharias.*

Genetivus, dativus, ablativus ubique Latinam primam declinationem sequuntur:

Amyntae Esaiae Heliae Iudae Midae Pythagorae Zachariae (gen.),
Hylae Lycidae (dat.),
Aenea Esaia Cinea (abl.)

Accusativi interdum servant Graecum exitum —*an*, plerumque autem mutant in —*am* (cf. pag. 45).

Graece scripserunt poetae: *Aenean Midan*; Latine: *Andream Barrabam Esaiam Heliam Hieremiam Hylam Iudam Thomam Zachariam.*

Nominum in —ης exeuntium imprimis nomina patronymica sunt pertractanda[1]). Atque nominativum ubique Graece flectunt:

Actorides (=Patroclus), Aeacides (=Achilles), Alcides (=Hercules), Amphitryoniades (=Hercules), Atrides (=Agamemno), Honoriades (=filius Honorii), Oebalides (=Hyacinthos), Scipiades (=Scipio).

Accusativum quoque poetae plerumque Graece flexisse videntur; Ausonius tantum auctorque periocharum Iliadis Latinam terminationem Graecae praetulisse videntur. Quamquam ne id quidem certum est, codices enim his locis fluctuant inter Graecam et Latinam terminationem[2]).

In epistula ad nepotem (2,22) invenimus *Amphitryoniadem*, idem accusativus ab Avieno Graece flectitur: *Amphitryoniaden* Arat. 178; in epistula 16. 2,11 legimus: *Atridam*, apud auctorem periocharum Iliadis X 4: *Atriden*; in periochae V versu primo legimus: *Tydidem*, Graecum accusativum huius nominis invenimus apud Claudianum: *Tydiden* Hon. VI 470; *Actorides* quoque nominis accusativum auctor periocharum Iliadis Latine flexit: *Actoridem* XVII 1.

Ceteri accusativi Graecum exitum servant: *Aeaciden Alciden Battiaden Iasiden Peliaden Phylaciden Plistheniden.*

---

[1]) L. Mueller, De re metr.^{2} 490 sq.

[2]) Cf. pag. 47.

Genetivus et dativus ubique Latinam primae declinationis terminationem praebent.

Eodem modo *Oedipodes* nomen flectitur, atque nominativum et accusativum Graecum invenimus apud Claudianum:

Oedipodes (Eutr. I 289) — *Oedipoden* (Ruf. I 84),

dativum Latinam primam declinationem sequi iubet Vespa:

Oedipodae (v. 84).

Cetera nomina virorum in —ης exeuntia nominativi quidem exitum Graecum servant[1]):

Anchises Aristides Bellerophontes Dinochares Ephialtes Geryones Herodes Iohannes Moyses Nastes Orestes Pylades Steropes Thales Thersites Thucydides Thyestes Xerxes,

accusativum autem saepius Latine quam Graece flectunt.

Atque Graecum exitum —ην praebent accusativi: *Cleanthen Epimeniden Persen* (regem) *Sotaden Xerxen*; inter exitum —ην et —*em* fluctuant accusativi nominum *Orestes* et *Thyestes*: *Oresten* (Auson. epist. 25,65) — *Orestem* (Claudian. Ruf. I 107), *Thyesten* (ibid. 84) — *Thyestem* (Vesp. 52); Latine terminantur accusativi: *Herodem Iohannem*; *Aeetam Lycambam Philoctetam*.

Genetivus Latine atque varie flectitur:

Antiphatae (Claudian. c. m. 30,22) *Baptistae* (Iuvenc. II 541) *Leucatae* (Claudian. Stilich. I 175); *Herodis* (Iuvenc. I 253) *Iohannis* (ibid. II 362 al.), *Moysi* (Iuvenc. I 324 al. Commod. carm. apol. 518 al.), *Moysei* (Iuvenc. II 218) *Simonidei* (Auson. prof. 14,6).

Dativum — tertiam declinationem sequentem — semel invenimus:

Nasti (Auson. epit. 18 tit.).

b) Iam accedamus ad nomina dearum et mulierum perscrutanda, quae Graece in —η exeunt. Haec quoque nomina apud poetas plerumque Graecum exitum servant[2]).

Nomina tantum notissima atque usitatissima mutantur: *Alcmena Aphrodita Iocasta Philomela*; cetera Graece flectuntur: *Aeetine Agaue Alce Alcyone Amphitrite Ariadne Calliope Canace Chrysocome Circe Cyane Cybebe Cybele Cymothoe Cythere Daphne Dione Donace Eriphyle Euhadne Europe Eurydice Euterpe Glauce Hecaerge Hecate Helle Hippolyte Leontodame Leucothoe Lycaste Lyce Melpomene Meroe Merope Mnemosyne Nebrophone Niobe Panope Paphie Penelope Persephone Phoebe Pholoe Procne Semele Sterope Taygete Terpsichore Tesiphone Thisbe Uranie*.

---

[1]) Singulos locos attuli pag. 46 sqq.

[2]) Singulos locos attuli pag. 23 sqq.

Genetivus saepius terminationem mutat quam servat[1]). Graecus exitus interdum ante vocalem insequentem servatur, de quibus locis infra fusius agetur.

Atque haec nomina genetivum Graece flexum praebent: *Amphitrites Beroes Circes Diones Dirces Glauces Helles Meroes Mnemosynes Niobes Panopes Phoebes Semeles.*

Latinorum rationi adaptantur genetivi nominum: *Alcyonae Andromachae Daphnae Paphiae Pasiphaae Penelopae Persephonae Thisbae.*

Inter Graecam terminationem et Latinam fluctuant genetivi: nominum: *Danae Helene Hermione.*

Neque aliter accusativus adhibetur.

Pauca enim nomina notiora Latinam terminationem praebent[2]): *Alcmenam Antiphilam Helenam*; praeterea Commodianus semel scripsit *Dafinem* (instr. I 11,12); ceteri accusativi Graece flectuntur: *Aeetinen Amphitriten Arsinoen Calliopen Cyanen Cybeben Cybelen Cymothoen Danaen Daphnen Deiphoben Dionen Donacen Hecaten Inarimen Meroen Meropen Nioben Paphien Parthenopen Phoeben Semelen Thymelen.*

Quibus locis poetae, ut molestam nominis proprii elisionem vitarent, graecum exitum servarint, infra fusius disputabitur.

4. De terminis technicis.

Persaepe terminationem Graecam etiam in terminis technicis servatam invenimus. Imprimis disciplinae grammaticae et metricae, quas artes Romani iam excultas a Graecis acceperunt, multas formas Graecas praebent. Quod optime perspici potest, si inquirimus, quonam modo Terentianus Maurus, qui in libro de litteris syllabis et metris permagnum numerum talium nominum adhibuit, flexerit.

Ac primum si nomina metrorum perlustramus secundam sequentia declinationem, duas species discernimus; partim enim poeta ipse se Graecum terminum afferre dixit, partim auctores Graecos secutus terminos adhibitos vel servat vel mutat. Sed cum de illis locis, quibus poeta ipse originem vocis Graecam esse dixit, infra cum aliis eiusmodi rebus agendum sit, hoc loco tantum discernantur nomina, quae ubique praebent Graecum exitum, ab his, quae mutant terminationem vel fluctuant inter Graecam Latinamque terminandi rationem.

---

[1]) Singulos locos attuli pag. 63 sqq.

[2]) Singulos locos attuli pag. 49 sqq.

Atque nominativus et Graece et Latine finitur[1]).

Graecam ubique terminationem praebent nominativi: *amphimacros endecasyllabos epitritos galliambos — dichronos.*

Latine terminantur nominativi: *hexametrus iambus trochaeus — hexameter pentameter tetrameter — anapaesticus dactylicus choriambicus dimetrus disyllabus herous creticus heroicus iambicus phalaecius trimetrus trochaicus trisyllabus.*

Haec nomina Latinam tantum praebere terminationem non mirum est, sunt enim plerumque adiectiva, quae perpaucis exceptis Latinam vestem induisse supra iam exposuimus[2]).

Modo *—os* modo *—us* terminationem exhibibent nominativi horum nominum: *ἀνάπαιστος* 1403 — *anapaestus* (septies); *antibacchos* 1913. 1411 — *antibacchus* 2388; *βακχεῖος* 1411 — *bacchius* 1651; *choriambos* 1877 — *choriambus* (quater); *chorios* 1386. 1488 — *chorius* 1907; *dactylos* 1163 — *dactylus* (27 ies); *dipthongos* (15 ies) — *dipthongus* (bis); *epodos* 2099 — *epodus* (quinquies); *spondeos* (ter) — *spondeus* (26 ies); *acephalos* 240 — *acephalus* (ter); *tetrametros* 2931 — *tetrametrus* 2095.

Etiam neutra plerumque servant terminationem Graecam, nisi sunt adiectiva; sed etiam haec interdum immutata manent, imprimis ante vocalem insequentem.

Ubique Graecum exitum praebent haec: *colon — dichronon disyllabon iambicon;* et Latine et Graece flectuntur; *metron* 310 — *metrum* (quater); *ionicon* 2011 — *ionicum* 2217; in *—um* exeunt: *bacchiacum choriambicum dactylicum trimetrum trochaicum.*

162 locis, si summam facimus, terminationem *—us* invenimus, 6 locis *—er,* 12 locis *—um,* Graecum autem exitum *—os* 29, *—on* 8 locis. In summa igitur 180 ies poeta Latinam, 37 ies Graecam terminationem adhibuit. Sed si nomina, quae plane vel prope in sermonem Romanorum transierunt seiungimus, res aliter se habet: magnam enim partem huius numeri explent nomina metrorum usitatissima velut *creticus* (10 ies), *iambus* (17 ies), *trochaeus* (19 ies); nominativus *dactylus* 27 ies Latine, semel tantum Graece flectitur; etiam vocis *spondeus* Latina terminatio poetae multo usitatior est quam exitus —ος; illam enim, ut supra dictum est, 26 ies, hunc ter adhibet. Ceteros terminos technicos vel ubique vel persaepe Graece flectit.

Neque aliter res se habet, si accusativi formas perlustramus. 132 enim locis accusativus in *—um,* 81 in

[1]) Cf. pag. 10 sq.

[2]) Cf. pag. 74 sq

—*on* excurrit. Hic quoque respiciendus est magnus numerus nominum notiorum et adiectivorum, quamquam haec quoque saepius terminationem Graecam servant. Imprimis accusativus nominis *spondeus* afferendus esse videtur. 15 ies enim in —*um* excurrit, undevicies in —*on*, sed ex his 19 locis eximendi sunt 14, quibus poeta, ut elisionem vitaret, Graeca terminatione usus est. In summa e 82 locis seiungendi sunt 58, quibus terminatio —*on* vocali insequenti postulatur.

Ceteri casus ubique Latine flectuntur.

Primam qui sequuntur declinationem termini technici ubique fere praebent Graecum exitum.

Latine nomina tantum adiectiva flectuntur: nom.: *catalectica heroica phallica;* acc.: *catalecticam dactylicam;* ceteris omnibus locis exitum Graecum servatum invenimus: nom.: *strophe* 2709 *tome* 1734 al.; acc.: συνάφειαν 1516 al. *synaphian* 2071 al. *strophen* 2707 *tomen* 1674 al.; abl. (=graec. dat.): *strophe* 2803 *tome* 310.

Iam accedamus ad tertiae declinationis terminos technicos, qui apud Terentianum Maurum inveniuntur. Hi quoque plerumque non mutantur.

Atque nomina in —*is* exeuntia — inveniuntur autem nominativi *arsis catalexis* — Graecum exitum accusativi ubique servant: *arsin* θέσιν *thesin* cf. pag. 53. In ablativo —ει vel —*i* dativi exitu Graeco terminantur: *arsi* —ἄρσει; *thesi* θέσει cf. pag. 71. Nomen *paeon* accusativum per —α terminat: *paeona* 2405, παίωνα 1537.

Termini technici in —ος exeuntes aliis de causis, quas iam supra exposuimus (pag. 75), ubique servant Graecum exitum.

Etiam in Ausoni poematis terminos technicos invenimus. Atque nomina, quae primam sequuntur declinationem, ubique fere Graecum exitum servant:

nom.: *bucolice grammatice metoche tome;* gen.: *cynices grammatices rhetorices* III 16; sed *rhetoricae* prof. 2,2; acc.: *grammaticen* III 15; sed *rhetoricam* prof. 7,41.

At termini secundae declinationis exitum multo saepius mutant.

Graecum exitum praebent: *logos methodos — elegeon monosyllabon;* Latinum: *antibacchus spondeus trochaeus metrum trimetrum — iambicum.*

Accusativus plerumque Latinam terminationem praebet.

Exitum —*on* invenimus in epist. 4,93: *choriambon*, idem nomen in epist. 10,37 Latine flectitur.

Praeterea mutantur: *dactylum stoicum threnum monostichium — metricum tropicum.*

§ 12. Quantum metricae rationes ad exitus Graecos servandos valuerint.

1. De difficultatibus, quae saepius poetae imprimis dactylico occurrunt[1]).

Peracto hoc capite, quo quantum usus ad servandas vel mutandas terminationes valuerit, demonstrare conati sumus, iam perscrutemur, quibus locis poetae necessitate quadam metrica coacti terminationes Graecas servarint. Sunt enim multa nomina, quae Latine terminata versui omnino non possunt inseri, quia in creticum exirent, alia nomina Latine flexa formam bacchei vel ionici a minore praebent, quae nisi in quarto aut sexto hexametri pede, in pentametro omnino collocari non possunt[2]).

Contra saepe poetae pro brevi terminatione Latina Graecam longam servant, vel quia aptior est, vel quia multa nomina Graeca in anapaestum exeunt, ita ut Latine terminata in tribrachyn exirent. (Sniehotta l. c. pag. 49). Quas Graecam productam terminationem servare iam non mirum esse potest. Interdum poetae Latinum exitum adhibuerunt, ut molestam elisionem vitarent.

2. De elisione vitanda.

Has igitur rationes poetas in versu pangendo observasse postquam cognovimus, materiam ipsam adeamus.

Atque in tres partes possumus dividere nomina Graeca, quae poetae versibus inseruerunt. Sunt enim multa, quae formam prosodiacam omnino non mutant, sive Graece sive Latine finiuntur; haec sunt nomina, quae apud Graecos exeunt in —ος, Latine in —*us*, tertiae declinationis nominativi nominum in —*is*, —*as*, —*s*, —*ax*, —*yx*, —*x*, —*en*, —υς exeuntium, omnia tertiae declinationis neutra, nomina in —ους, —ως, —ω excurrentia, genetivus tertiae declinationis, denique accusativus nominum in —υς

1) Cf. Bednara l. c. pag. 5 sqq. Welzel l. c. pag. 45 sqq.

2) Sniehotta l. c. pag. 48. Bednara l. c. pag. 7.

exeuntium et neutrorum. Has formas seiungere possumus quia sintne Graece an Latine terminatae, nihil ad versus pangendos interesse satis apparet.

Alia nomina, quamquam mutata ipsa formam prosodiacam non mutant, tamen interdum servant Graecum exitum, quod ita terminata elisionem vitant ante vocalem insequentem[1]). Sunt nominativus et accusativus neutrius generis in —*on* exeuntes, accusativus secundae declinationis, nominativus et accusativus nominum in —ας vel —ης exeuntium, genetivus et accusativus nominum quae in —η excurrunt, tertiae declinationis nominativus per —ων et accusativus per —ιν terminatus.

Cetera sunt eiusmodi, ut cum exitu etiam formam prosodiacam mutent. Respondet enim producta terminatio Graeca Latinae correptae et Latinae longae interdum Graeca correpta. De huius generis nominibus nobis imprimis agendum erit.

Ac primum afferantur loci, quibus poetae ut elisionem vitarent, Graecum exitum servaverunt.

Atque nominativus neutrius generis, qui secundam sequitur declinationem, persaepe servat exitum —*on* ante vocalem insequentem.

E 18 enim nominativis Graece terminatis servant ante insequentem vocalem exitum —*on* hi 12: apud Terentianum: *colon* 2535. 2512 *metron* 310 *iambicon* 2585 *ionicon* 2011; apud Sammonicum: *prassion* 362; apud Avienum: *Poetaneon* ora 190; apud Ausonium: *elegeon* epigr. 97,$_{2}$ *monosyllabon* technop. 13,$_{13}$; apud Claudianum: *Pelion* Prob. 203; Ruf. II 44; n. Hon. pr. 1.

Accusativi secundae declinationis 119ies Graece finiuntur, quorum ante vocalem insequentem positi sunt 72.

Atque exstat exitus —*on* ante vocalem insequentem apud Terentianum Maurum: (ἀντίσπαστον 1483) *anapaeston* 2835. 2874. *Archilochon* 2245 *dactylon* 1027. 1132. 1134. 1152. 1158. 1622. 1860. 1941. 2554. 2835. *digammon* 794. *dimetron* 2968. *dipthongon* 416. 499. 502. 515. 766. *iambon* 1875. 2568. *metron* 1512. 2072. 2219. 2504. 2866. *miuron* 1925. *pariambon* 1467. 2876. *Patroclon* 272. *spondeon* 1049. 1501. 1833. 1860. 1941. 2019. 2041. 2201. 2231. 2249. 2321. 2409. 2327. 2343. 509. *trochaeon* 2567 — *arcticon* 1168. *catalecticon* 1168 *disyllabon* 2150. *epitriton* 1560. *choriambicon* 1822. *heroicon* 1644. *ithyphallicon* 1840. *Phalaecion* 1884; *Sapphicon* 2547; apud Hadrianum: *Clonon* 123,$_{2}$ *Oebalon* 123,$_{2,3}$;

---

[1]) Mueller, De re metr. [2] 235 sqq.

apud Serenum Sammonicum: *elelisphagon* 469; apud Nemesianum: *cantharon* III 48; apud Sulpicium: *Euandron* 51; apud Lactantium: *Cinnamon* 83; apud Ausonium: *choriambon* epist. 4,$_{93}$; *Dionyson* epigr. 30,$_{4}$ *Triptolemon* epist. 22,$_{2,46}$; apud Claudianum: *barbiton* n. Hon. pr. 10 *Pelion* Stil. I 12 Hon. III 115 Hon. IV 108 Poll. 74.

Nominativum nominum in —ης exeuntium 15ies ante vocalem insequentem invenimus.

Apud Porfyrium: *Amphitryoniades* 28,$_{15}$; apud Sulpicium: *Anchises* 18; in Verb. Achill.: *Thersites* 70; apud Ausonium: *Alcides* III 1 *Aristides* parent. 24,$_{4}$ *Nastes* epitaph. 18,$_{1}$ *Oebalides* Cup. cruc. 10 *Thales* lud. 163; apud Avienum: *Alcides* descr. 962; apud Claudianum: *Brontes* Hon. III 193 *Ganges* Ruf. I 293 *Pylades* ibid. 108 *Leucates* Poll. 186 *Scipiades* Stil. III pr. 1; apud Iuvencum: *Herodes* III 43.

Commodianus quoque bis nomen *Moyses* ante vocalem insequentem posuit: instr. 38,$_{4}$; carm. apol. 60; sed cum hiatum ubique admittat[1], loci non ita multum valent.

In —ας exeunt 74 nominativi primae declinationis, quorum, ne elisione ultimam amitterent, 13 servaverunt Graecum exitum:

Apud Sulpicium: *Aeneas* 28. 51; apud Getam: *Pelias* 252; apud Nemesianum: *Idas* ecl. II 1; in Epistula Didonis: *Aeneas* 144; apud Ausonium: *Aeneas* epit. 14,$_{4}$. 20,$_{5}$ *Elias* (—⏑⏑) ephem. 3,$_{42}$; apud Claudianum: *Boreas* Stil. I 207 *Pythagoras* Theod. 91 *Tiresias* Stil. I 315; apud Iuvencum: *Iudas* IV 423 *Lucas* pr. 3.

Octies etiam apud Commodianum nomina in *—as* exeuntia ante vocalem insequentem exstant.

Etiam accusativi horum nominum interdum ante vocalem insequentem terminationem Graecam servant.

45 accusativorum in —ης exeuntium hi sex exstant ante vocalem insequentem: apud Terentianum: *Xerxen* 1171; apud Ausonium: *Aeaciden* epit. 5,$_{1}$; apud Claudianum[2]: *Aeaciden* Poll. 12 *Phylaciden* c. m. 30,$_{151}$ *Tigranen* Stil. I 370 *Tydiden* Hon. VI 470.

Semel etiam accusativus nominis *penthemimeres* terminationem *—en* ante vocalem insequentem praebet: *penthemimeren habent* (Auson. epit. 4,$_{86}$).

Accusativus nominum, quae desinunt in —η 74 locis terminationem Graecam servat atque 15ies ante vocalem insequentem:

Apud Getam: *Hecaten* 334; apud Nemesianum: *Donacen* eclog. II 26 *Semelen* cyn. 16; apud Terentianum: *tomen* 2820; apud Avienum: *Meropen* Arat. 598 *Pyrenen* ora 562; apud Ausonium: *scytalen* epist. 23,$_{22}$;

[1]) Demonstravit id Scheifler l. c. pag. 20. Cf. W. Meyer, Anfang und Ursprung der lat. und griech. rhythmischen Dichtung. Abh. d. Münch. Akad. d. Wiss. XVII, 2 pag. 291.

[2]) Welzel l. c. pag. 85.

in epigr. Pseudausonian.: *Daphnen* 30,₁; apud Claudianum[1]): *Danaen* Ruf. I 155 *Inarimen* Hon. VI pr. 18 *Nioben* Eutr. II 405 *Phoeben* Ruf. I 9 *Rhodopen* Hon. IV 50; c. m. 53,69.

Cetera primam sequentia nomina plerumque terminationem Latinam praebent.

Duobus tantum locis (e sex) Graeca terminatio vocali insequenti postulatur: *Odyssean* Auson. epit. 6,2 *Tegean* Claudian. Poll. 576.

42ies nomina in —η exeuntia genetivi Graecum exitum —ης servant idque quinquies ante vocalem insequentem:

Apud Nemesianum: *Libyes* cyn. 229; apud Avienum: *Helices* descr. 904; apud Ausonium: *cynices* epigr. 28,1 *Pyrenes* urb. 102 *rhetorices* III 16.

Tertiae declinationis hoc loco nonnulli nominativi in —ων exeuntes afferendi sunt. Et praecipue mihi nomina nonnulla adnotanda videntur, quae quamquam exitum —ων corripiunt, tamen eius ultimam litteram —*n* servant, ne syllaba vocali insequenti elidatur.

Haec sunt apud Hadrianum[2]) PLM IV 124,4:

Thyrsis oves, vitulos Theŏn egerat, Almo capellas;

in eiusdem carminis versu sexto:

Canna Almo, Thyrsis stipula Thĕŏn ore melodus,

cum idem nomen in versu quinto eiusdem carminis longum exitum —ων servet:

Thĕōn et Thyrsis ephebus.

Etiam Ausonius semel correpta terminatione —*on* ante vocalem insequentem usus est: *Chīrŏn Achillem* XIII 2,20.

Praeterea exitus —ων ante vocalem insequentem exstat his locis: apud Terentianum Maurum: *ion* 2047; apud Porfyrium: *Helicon* 19,7; apud Sulpicium: *Sinon* 16; apud Avienum: *Helicon* descr. 818; Arat. 276 *Meton* ibid. 1373 *Memnon* ibid. 368; apud Ausonium: *Alcon* epigr. 70,1 *Myron* ibid. 57,4 *Sigalion* epist. 24,27; apud Claudianum: *Acheron* rapt. Pros. I 87 *Ixion* ibid. II 337 *Phaeton* ibid. III 403 *Triton* n. Hon. 137.

Apud Commodianum quoque bis exitum —*on* ante vocalem insequentem positum invenimus: *agón est* (carm. apol. 609) *réx Apolion erit* (ibid. 811); sed cf. pag. 87.

Nonnulli denique accusativi tertiae declinationis, qui Graece in —ιν exeunt, hanc terminationem, ne exitus elidatur, servant.

Exstant accusativi Graece per —*in* terminati ante vocalem insequentem apud Terentianum Maurum: *arsin* 1346; apud Sammonicum:

---

[1]) Welzel l. c. pag. 84.

[2]) Sunt omnia vocabula iambica correpta; cf. Lindsay-Nohl, Die Lat. Sprache, Lips. 1897 pag. 246; L. Mueller, De re metr. ² 413 sqq., 417.

synthesin 1064; apud Avienum: *Oestrymnin* ora 91; apud Ausonium: *Osirin* epigr. $30_{,2}$; in epigr. Pseudausonian.: *Cyprin* $8_{,2}$; apud Claudianum: *Maeotin* Ruf. I 312 *Phasin* Eutr. 245.

3. De nominibus quae non solum formam, sed etiam quantitatem terminationis mutant.

Iam accedamus ad eos locos perscrutandos, quibus poetae metricis rationibus commoti correptam aut productam Graecam vel Latinam terminationem loco productae aut correptae Latinae vel Graecae posuerunt.

a) Ac primum quidem nomina, quae Latinam primam declinationem sequuntur atque in —α productum exeunt, tractemus. Haec nomina excepto *logodaedalia* (Auson. techn. 13,1) ubique Latinum correptum exitum —*a* praebent.

8 nomina exstant in synaloepha:

Terentian. 774; Avien. Arat. 580; descr. 26. 221; Auson. Cup. cr. 73; epigr. $95_{,12}$; Caton. de mus. 8; Iuvenc. III 26;

8 in fine versus:

Avien. Arat. 1502. 890. 1134. 1212; descr. 1039; app. Auson. de sign. cael. 3; Claudian. Ruf. I 198; Hon. IV 254.

Ceteris locis —$\breve{a}$ metro postulatur.

Maxima autem pars horum nominum exstat in hexametro, ut iam mirum esse non possit, quod omnia haec nomina, quae Graece vel in creticum exeunt vel cretici sunt, Latine terminantur. Ita efficitur dactylus, quem poetae plerumque in quinto hexametri pede posuerunt, interdum etiam in primo vel quarto. In pentametro autem poetae eiusmodi nomina in altera parte, quae duos dactylos postulat, adhibuerunt.

Atque inveniuntur in primo hexametri pede 9 eiusmodi nomina dactylica:

Sammon. 19; Porfyr. $18_{,29}$; Avien. Arat. 1446. 1471; descr. 994: app. Ausonian. epigr. $31_{,1}$; Claudian. Gild. 228; Stil. III 62; rapt. Proserp. I 275.

Quartum pedem explent 9:

Avien. descr. 620. 183. 680; Auson. parent. $4_{,1}$; VI 22; epist. $25_{,109}$ Claudian. Theod. 24; Hon. VI 18; Hon. III 211.

Maxima autem pars (57) in quinto hexametri pede exstat:

Vesp. 82; Lact. de ave Phoen. 81; Porfyr. $5_{,13}$; Epist. Didon. 43; Auson. epigr. $1_{,1}$; ecl. $12_{,11}$; epist. $25_{,53}$; XXXIII 10; epit. $23_{,1}$. $11_{,1}$; app.

Ausonian. epigr. $13_{,1}$; perioch. Odyss. $17_{,1}$; Avien. I 10; Arat. 455. 1333. 1465; descr. 81. 671. 840. 974. 962; Claudian. Prob. 36. 71; Ruf. I 197; Eutr. II 247. I 225. 357. 203. II 295. I 416. I 324. II 396; Gild. 129. 456; n. Hon. 215. 225. 339; Hon. IV 427. 603. 180; Stil. I 19. II 262. 359. 332. III 261; Hon. VI 122; Poll. 146. 310; rapt. Proserp. II 206. 81. III 285; c. m. $27_{,38}$. $30_{,63}$. $22_{,19}$. $30_{.186}$. $30_{.118}$; app. Claudian. $22_{,7}$.

2 in altera pentametri parte inveniuntur:

Auson. XII $2_{,14}$; Claudian. c. m. $51_{,10}$.

Non ita magnus est numerus eorum locorum, quibus poetae Latinam adhibendo terminationem ionicum a minore vitant.

Atque exstant in hexametri altero pede 6:

Salamandra Sammon. 104; *Laudamia* Auson. Cup. cruc. 36; Claudian. Eutr. I 299. 334; c. m. $30_{,150\cdot 173}$;

in tertio pede unus:

Avien. descr. 1082;

in pentametri paenultimo pede quattuor:

Panachaea Lactant. 88; *Calliopea* Porfyr. $4_{,4}$; *Clytemestra* Auson. epit. $2_{,4}$; Claudian. c. m. $31_{,20}$.

Praeterea inveniuntur 24 nomina, quae poetae et Latine et Graece flexa adhibere poterant; Graece enim terminata duas vel tres vel quattuor syllabas longas praeberent. Eiusmodi nomina inveniuntur in primo hexametri pede 6:

Myrrha Modestin. 9; *Troia* Sulpic. 6; Avien. Arat. 76; descr. 1123; Auson. epit. $8_{,6}$; app. Ausonian. perioch. Il. $23_{,1}$;

in altero hexametri pede 2:

Avien. Arat. 1111; Iuvenc. I 450;

in quarto hexametri pede unum:

Auson. techn. $7_{,2}$;

in quinto hexametri pede 7:

Phaedra Modestin. 5; Auson. epit. $15_{,1}$; Cup. cruc. 32; Claudian. Ruf. I 290; Eutr. II 220; rapt. Pros. II 255; Iuvenc. I 229.

In summa igitur in hexametris e 124 nominativis in $-\bar{a}$ exeuntibus 16 exstant in fine aut in synaloepha, 104 $-\bar{a}$ corripiunt, atque 15 in primo, 8 in altero, 1 in tertio, 10 in quarto, 64 in quinto pede, 6 in pentametri paenultimo.

Multo minor est numerus eiusmodi nominum in versibus iambicis vel trochaicis vel anapaesticis vel logaoedicis qui dicuntur. Atque in iambicis vel trochaicis vel logaoedicis versibus poetae omnia eiusmodi nomina adhibere potuerunt, sive Latine sive Graece erant terminata. Una

tantum difficultas erat in versibus anapaesticis. Nomina enim Graece in creticum exeuntia his versibus inseri non possunt, sed his locis correpta terminatio metro postulatur. Atque terminatio —ᾰ ter in versibus lyricis invenitur atque metro postulatur:

Auson. epigr. $30_{,1}$; Claudian. Fesc. I 9. 17,

semel in senarii secunda thesi:

Avien. ora 244.

b) Iam accedamus ad nomina Graece in —η exeuntia. Atque persaepe poetae metricis rationibus commoti sunt, ut mutarent vel servarent hanc terminationem; multa quoque nomina in —η exeuntia, quae ad hexametrum pangendum minus apta erant, in fine posuerunt.

In summa invenimus 217 nomina per —η terminata, quorum exstant in fine 61:

Terentian. 1734. 2709; Hadrian. $123_{,2}$; Nemesian. ecl. II 56; cyn. 123; Pentad. $343_{,8}$; Reposian. 17. 172; Porfyr. $27_{,9}$. $14_{,12}$; Avien. Arat. 952; descr. 328. 478. 440. 952. 1024. 1220. 1294; ora 46; Auson. Cup. cruc. 31; prof. $23_{,7}$; epist. $19_{,1}$; epigr. $36_{,5}$. $83_{,1}$. $51_{,2}$; app. Auson. epigr. $30_{,2}$; sept. sap. $2_{,8}$; Claudian. Eutr. I 220. 324. II 280. 365; Ruf. I 153; Gild. 159. 120; n. Hon. 175. 18. 15; Hon. III 58; Hon. IV 33. 475. 32; Theod. 272. 301; Stil. III 253. 252. 276. 292; Poll. 233. 337; Hon. VI 105; rapt. Pros. I 104. 207. 212. II 39; pr. 44; III 271. 433; c. m. $31_{,61}$. $30_{,20}$; app. Claudian. $7_{,4}$. $14_{,3}$.

99 locis poetae terminationem servaverunt, ut in hexametro tribrachyn vitarent, quem sine elisione vel positione hexametro omnino inserere non potuerunt. Qua de causa haec nomina exitum —η praebent:

Alcyone Calliope Canace Chrysocome Cyane Cybele Cymothoe Donace Erigone Ephyre Euridice Hecate Helice Iope Leontodame Leucothoe Libye Lipare Melpomene Meroe Merope Mycale Mnemosyne Nebrophone Niobe Panope Paphie Pasiphae Penelope Persephone Rhodope Semele Spatale Sterope Taprobane Terpsichore Tisiphone Taygete Uranie.

Unum nomen *Eriphyle* (Auson. Cup. cr. 28) ionici a minore formam praebet, neque tamen a poeta mutatur. Cetera quae in hexametris inveniuntur nomina in —η exeuntia iambica vel spondiaca sunt vel tres longas syllabas explent.

In versibus iambicis vel trochaicis vel lyricis exstant 20 eiusmodi nomina, quorum 14 versus ratione postulantur.

Atque tanta vi inde ab Augusti temporibus[1]) terminatio —η invaserat praecipue in nomina propria[2]), ut etiam in elisione nomina tantum notissima terminationem mutarent:

Creta (Avien. Arat. 108) *Thessala* (ibid. descr. 254),

ceteris locis poetae terminationem —*e* elidere maluerunt.

Avien. Arat. 1326. descr. 733. 1057. 1076. or. marit. 87. 344. 452; Hadrian. 124,$_{7}$; Auson. Cup. cruc. 38; prof. 21,$_{7}$.

Latine terminantur 93 nomina. Horum quoque terminatio Latine correpta plerumque metro vel versus ratione postulatur. Nam 9 locis exceptis, quibus eiusmodi nomina in elisione vel in fine:

Avien. descr. *Ida* 675. 815; Claudian. *Aetna* Hon. III 161; rapt. Pros. I 190. II 8. III 186;

versus posita sunt, e 73 nominibus, quae in hexametris inveniuntur, 39 in creticum exirent, si Graece finirentur, ita ut hexametro omnino inseri non possent, Latina autem terminatio dactylum efficit. Ita mirum esse non potest, quod hae formae persaepe in quinto hexametri pede, qui purus esse debet, inveniuntur. 26 enim eiusmodi nominativi exstant hoc loco:

Terent. 1483 *heroica*; Sammonic. 185. 567; Tiberian. II 15; Avien. Arat. 1046; descr. 562. 1326. 1372. 229. 759. 1133; Auson. XI 2,$_{9}$; Mosell. 330; technop. 12,$_{5}$ 12,$_{4}$; epitaph. 27,$_{1}$; epist. 4,$_{40}$. 25,$_{53}$. 25,$_{88}$; Claudian. Hon. IV 574; Ruf. I 146; rapt. Pros. I 17; c. m. 30,$_{13}$. 53,$_{34}$; Iuvenc. II 254,

septem in primo pede:

Avien. descr. 597. 816. 1218. 1228; Auson. urb. 89; epist. 2,$_{12}$; Claudian. Hon. IV 543,

unus in altero:

Terentian. 2600,

quattuor in quarto pede:

Terentian. 1853; Avien. Arat. 982; Auson. techn. 12,$_{25}$; XXX 17,

unus in pentametri altera parte invenitur:

Auson. prof. 25,$_{4}$.

Decies poetae Latine terminando ionicum a maiore vitant atque 5ies in quinto hexametri pede:

Philomela Vesp. 90; Epist. Didon. 54; Auson. epigr. 40,$_{1}$; Claudian. Eutr. I 260; Commodian. II 19,$_{11}$,

semel in tertio pede:

1) Neue I^{3} pag. 66. Bednara l. c. pag. 42.

2) Cf. pag. 78 et 81; praeterea pag. 23.

Nemesian. cyn. *post epulas, Philomela, tuas* 34,

semel Claudianus versum incipit ab eiusmodi nomine:

Thessalonica Ruf. II 280.

Pentadius in disticho PLM IV 409,7 sq.:

Iam Philomela gemit modulis, Ityn impia mater
oblatum mensis iam Philomela gemit

nomen *Philomela* et in secundo hexametri et in paenultimo pentametri pede posuit. Eundem pentametri pedem explet nomen *Aphrodita* apud Ausonium (eclog. 3,8).

Cetera aliam structuram praebent, quae etsi non tantum abhorret a versu hexametro, si Graece finiuntur, tamen Latina terminatione uti videmus; sunt enim nomina plerumque adiectiva (*Aetola Pelasga Hyrcana Tyrrhena*) vel geographica (*Aetna Creta Europa Pallena Ida*) vel personalia (*Alcmena*) quae ubique fere Latine terminantur. Horum quoque nominum terminatio Latina plerumque in ultima hexametri vel pentametri thesi exstat.

Atque inveniuntur in quinto hexametri pede 12:

Avien. descr. 673. 414. 468; Claudian. Ruf. II 36. I 289; Eutr. I 218; Gild. 482; Stil. I 88; rapt. Pros. I 133. 152; app. Claudian. II 48. 119;

in pentametri ultima thesi tres formae exstant:

Claudian. Hon. VI pr. 18; c. m. 4,8. 17,4;

quinquies exitus —$\breve{a}$ in prima hexametri thesi exstat:

Avien. descr. 676; Claudian. Hon. VI 139; Poll. 442; rapt. Proserp. I 154. III 399;

quater in secunda hexametri thesi:

Sammon. 408; Avien. descr. 491. 592; Claudian. Ruf. I 227.

De nominibus, quae in versibus trochaicis vel lyricis exstant, idem fere dicendum est ac de his, quamquam nomina, quae Graece in creticum exeunt, nullo alio modo nisi Latine terminata in versibus anapaesticis vel ionicis poni possunt.

c) Nomina in —ης (gen. —ου) exeuntia hanc terminationem 121 locis servant[1]), 19 locis mutant atque plerumque propter metricas causas.

43 ies terminationem —ης in fine versus invenimus:

Terentian. 17. 1160. 1960; Geta 294; Porfyr. 28,14; Avien. Arat. 257. 1131; descr. 582. 756. 826. 1091. 1273. 1343; ora 50; Auson. epit. 4,8. 10,3; ecl. 17,20; epist. 24,72; lud. 162; Claudian. Prob. 160. 163;

[1]) Cf. pag. 19 sqq., 78, 80 sqq., 87.

Ruf. I 376; Eutr. I 434. 289. II 115; Hon. III 170. 70; Hon. IV 186. 387. 601. 610; Hon. 274; Hon. VI 113; Theod. 29; Stil. III 164; Poll. 75; c. m. $22_{,14}$. $40_{,13}$; rapt. Proserp. I 233; II 82. III 263. 325. 373.

18 ies Ausonius Porfyrius Claudianus Graecum exitum servaverunt, ut tribrachyn, quem versui inserere non poterant, vitarent.

Invenimus apud Porfyrium: *Amphitryoniades;* apud Ausonium: *Aeacides Actorides Dinochares Oebalides Pylades Sauromates;* apud Claudianum: *Geryones Honoriades Oedipodes Massagetes Pylades Scipiades Steropes.*

Bis Ausonius Graeca terminatione antispastum vitat: *Aristides* (Mosell. 388. parent. $29_{,4}$).

Ceterorum structura Latina quamquam hexametri rationi non obstat, tamen a poetis spernitur, quia usus Graecum exitum postulat (cf. pag. 78 et 80), atque omnibus locis terminationem productam metrum tuetur.

Latinum exitum praebent 19 nominativi. 8 ies poetae Latina correpta terminatione creticum vitant atque 6 ies in quinto hexametri pede:

Porfyr. $18_{,1}$ *Sarmata ductu;* Avien. descr. 858 *Sarmata silvas;* Claudian. Ruf. I 310: Eutr. II 338; Stil. I 111. Hon. IV 485;

semel in quarto pede:

Sarmata bellica quondam Avien. descr. 854;

semel in primo:

Sarmata Germani ibid. 442.

Ceterae formae suo loco metro postulantur.

d) Nominativus nominum in —ας (gen. —ου) exeuntium 74 locis Graece terminatur[1]). 12 exstant in fine:

Nemesian. ecl. III 1. IV 7 et 72. II 60; Auson. ephem. $4_{,9}$; epigr. $64_{,10}$. $68_{,3}$. $98_{,2}$; Claudian. c. m. $50_{,3}$; Commodian. carm. apol. 290. 633. 833.

Semel Ausonius correpta terminatione —ας ante vocalem insequentem usus est:

Elias ephem. $3_{,42}$;

14ies poetae, ut tribrachyn vitarent, exitum —ας servaverunt.

Geta et Avienus singulis *(Pelias boreas)*, Vespa *(Pythagoras Pelias)*, Nemesianus *(boreas Lycidas)*, Iuvencus *(Hieremias Zacharias)* binis, Claudianus sex *(Boreas Pythagoras Tiresias)* eiusmodi nominibus utuntur.

Pauca praeterea verba fiant de eiusmodi nominibus hebraicis, quae apud Commodianum inveniuntur. Atque

---

1) Cf. pag. 18 sqq.

cum syllabarum quantitates tantum, prout formam prosodiacam nominis indicant, a Commodiano respiciuntur[1]), tum in nominibus propriis hebraicis nulla quantitatis lex valet[2]).

Nomen *Belias* instr. I $35_{,2}$ ictum in prima syllaba habet:

Bèlias sérvatús fuit de invidia psalmae[3]).

Nomen *Helias* quater invenitur (instr. I $41_{,8\cdot 11}$; carm. apol. 833. 839); atque pronuntiandum est *Helías* carm. apol. 833:

prophetabit Helías[4]);

instr. I $41_{,11}$ acuitur *Héliás:*

Séd mèdium témpus Hèliás | mèdium Nèro tenébit[5]);

similiter instr. I $41_{,8}$: *Hélіàs veniet;*

carm. apol. 839: *Ergo cum Hèliás.*

Nomen *Esaias* (Ἡσαΐας vel Ἠσαίας) apud Commodianum legendum est *Esájas* carm. apol. 290 est 633, ubi in fine versus positum est; similiter acuitur nomen *Esaias* instr. I $38_{,4}$. $41_{,1}$. II $19_{,3}$; carm. apol. 513. 533. 467; ultima syllaba accentum fert carm. apol. 335 et 373, at carm. apol. 415 legimus: *Ésaias aít*[6]).

Hieremias quoque nomen (Ἱερεμίας, *Ieremias* [—◡◡—] Iuvenc.), varie adhibetur et acuitur:

Hièremías aít carm. apol. 387; *Hiéremiás totidèm* ibid. 273.

Praeterea inveniuntur nomina *Aeneas Eurotas Hylas Idas Iudas Lucas,* quorum Graeca forma metro fertur, non postulatur; nonnullis locis terminationem —ας vocali insequenti postulari supra iam commemoravimus (pag. 87 sqq.).

Latinam terminationem 6 locis invenimus; quater hac terminandi ratione creticus vitatur atque semel in primo hexametri pede:

Claudian. Eutr. II 266;

ter in quinto pede:

Porfyr. $27_{,12}$; Auson. Caesar. I 33; Claudian. Eutr. II 266.

e) Tertiae declinationis primum nominativus in —ων excurrens afferatur. Is 173 locis hunc exitum servat. Atque 67 ies nomina spondiaca vel bacchiaca in fine hexametri vel nomina iambica vel choriambica in fine pentametri exstant:

---

[1]) Cf. Scheifler l. c. pag. 35.

[2]) Hanssen l. c. pag. 71 sq. et pag. 31.

[3]) Cf. Hanssen pag. 10.

[4]) Cf. Scheifler l. c. p. 31.

[5]) Hanssen pag. 64 legit:

Séd mediúm tempús | Heliás medjum Nèro tenébit.

[6]) Cf. Hanssen pag. 71.

Terentian. 1165. 2400; Sammonic. 864; Nemesian. ecl. I 1. 19. 53. 79; Vesp. 54. 55; Pentad. 344$_{,17}$; Porfyr. 11$_{,10}$. 28$_{,22}$; Avien. descr. 316. 575. 950; ora 48; Auson. lud. 72. 73. 82. 112; prof. 23$_{,10}$; epit. 32$_{,9}$; epist. 25$_{,39\cdot 65}$. 7,2$_{.11}$. 14$_{,10}$. 5$_{,20}$. 6$_{,5}$; epigr. 69$_{.3}$. 16$_{,1\cdot 5}$; XXXII 11; app. Ausonian. epigr. 22$_{5}$. 20$_{.6}$; Claudian. Eutr. I 240. 180; Gild. 498; n. Hon. praef. 5. 156. 180; Hon. III 195. 171; Hon. IV 561. 555. 143. 508. 465. 537; Theod. 284; Stil. I 255. 185. 265. 287; III 260; Hon. VI 378; c. m. 25$_{,140}$. 53$_{104}$; rapt. Proserp. I 240. III 348; app. Claudian. IV 5; Iuvenc. I 408. II 419. 713. 778. III 8. 37; Commodian. instr. I 5$_{,4}$.

Ceterorum nominum 92 exstant in hexametro, 11 in senario, unum in trochaico tetrametro, 2 in versibus lyricis. Atque nominum, quae in hexametris exstant, dimidia fere pars nullo alio modo nisi Graece terminata versui inseri potest; praebent enim 37 nomina anapaesti formam, ita ut Latine terminata tribrachi structuram praeberent.

Haec sunt nomina: *Acheron Babylon Calydon Citheron* (Auson. griph. 32) *Endymion* (Porfyr. 28$_{.22\cdot 24}$) *Helicon Phaethon Nasamon Phlegethon Porfyrion procyon Rubicon Salomon*[1]) *Sigalion Simeon.*

Duo nomina in quarto hexametri pede ionici a minore formam praebent:

Lacedaemon (app. Auson. III 2$_{,3}$); *Polygiton* (Auson. griph. 107$_{,18}$).

50 aliis locis terminatio —ων suo loco metro postulatur atque 46 ies in arsi exstat, ter in thesi.

In versibus trochaicis vel iambicis inveniuntur 12 nomina atque 8 ies —ων terminatio in arsi posita est, ita ut metro postuletur:

Terentian. 2047; Avien. ora 47. 337, 350; Auson. lud. 112; epist. 4$_{,94\cdot 103}$. 22,2$_{.1}$;

quater hanc terminationem in thesi invenimus, ubi metro non postulatur:

Perv. Ven. 20; Auson. lud. 55. 130. 136.

Correptam terminationem —*on*, sed servata littera —*n* ter ante vocalem insequentem invenimus, de quibus locis iam supra (pag. 88) egi.

Latine terminantur 36 nomina, quorum exstant 14 in fine, in his 12 ies *Apollo*:

Nemesian. ecl. I 5. 65. 82; II 55. 72; Avien. Arat. 622; descr. 6; Auson. lud. 209; epist. 4$_{,8}$. 22.2$_{.10}$. XXX 2; Sulpicia 70; Claudian. Hon. VI 25; c. m. 3$_{,4}$.

---

[1]) Hanssen l. c. pag. 9. 21. 29. 71.

Bis Ausonius in ephemeridis carm. I terminatione *—ŏ* in versu adonio coactus est uti:

Parmeno dormis v. 4; *Parmeno lecto* v. 20.

Nominis *Apollo* terminatio semel in hexametri thesi posita est:

Vesp. 80,

semel in senarii secunda thesi:

Terentian. 1587: *Apollo, Delphici feruntur accolae,*

semel in trochaici tetrametri altera thesi:

Flor. $414_{,1}$: *sic Apollo, deinde Liber.*

9ies metro longa syllaba postulatur, attamen poetae non Graeca sed Latina terminatione usi sunt:

Lĕō Auson. eclog. $17_{,6}$; sed eclog. $9_{,8}$: *Lĕŏ*; Claudian. Eutr. II 377. 440. 453 559; Stil. II 460; *Măcĕdō* Claudian. Stil. III 165 Poll. 180; *Ālmō* Hadrian. 124_{6}, sed *Ālmŏ* ibid. $_{1,4,5}$.

f) Terminationem —ευς ubique fere metro postulari supra iam in priore parte (pag. 28 sqq.) demonstratum est.

g) Tertiae declinationis nominativus pluralis (cf. pag. 36 sqq.) certo 48 locis Graece terminatur, ceteri aut in fine versus aut — perpaucis exceptis qui exitum *—es* ante vocalem insequentem praebent — ante consonantem insequentem exstant, ubi de quantitate nihil diiudicare possumus. Atque in versu heroico 44 nomina inveniuntur, quorum 34 Graecam terminationem servando creticum vitant, unum ionicum a minore:

Corybantes Claudian. Eutr. II 285.

Illorum 16 hexametri exordium obtinent:

Avien. Arat. *Aones* 497; descr. 574 *Arcades.* 705. 1366; Auson. griph. 84; Claudian. Prob. 249; Eutr. II 246. 285. 523; Gild. 151; Ruf. II 412; Hon. IV 609. 32; Stil. I 57; rapt. Proserp. II 56. III 17;

novem quartum hexametri pedem tenent:

Avien. Arat. 604 *Atlantides;* descr. 595. 712; Auson. griph. 84; Cup. cruc. 3. 95; griph. 20; Nemesian. eclog. II 21; Claudian. Poll. 9;

novem in quinto hexametri pede exstant:

Avien. Arat. 793 *Phaetontides alnis;* descr. 526. 658; Claudian. n. Hon. 159; rapt. Pros. II 254; c. m. $30_{,80}$; Commodian. II $9_{,19}$ *áspides súrdi*; II $1_{,9}$ *mártyres éssent*; II $21_{,8}$ *mártyres ibunt.*

Praeterea inveniuntur 9 nomina trochaica vel in trochaeum exeuntia, quorum terminationem Graecam correptam suo loco metrum postulat. Ac versus exordium obtinent 4:

Perioch. Iliad. $16_{,1}$; Claudian. Stil. III 369; Poll. 165; c. m. $31_{,8}$;

3 in quinto pede exstant:

Claudian. Eutr. II praef. 67 *Tritones in alto*; n. Hon. 197 *crateres in armis*; Hon. IV 258 *Seres adorent*,

unum in altero:

Claudian. Eutr. II 247 *Thraces*,

unum in tertio:

Claudian. rapt. Pros. III 182 *an caelum Titanes habent.*

Quattuor nomina in trimetri iambici altera thesi exstant, ubi exitus —*ĕs* metro postulatur:

Avien. ora 486. 550. 464. 302.

22 nominativi exstant in fine versus:

Terentian. 2878; Auson. epist. 18,$_6$. 24,$_{36}$; epigr. 99,$_1$; perioch. Iliad. 3,$_3$; Avien. descr. orb. 945. 934. 158. 463. 467; ora 96; Sulpic. 22; Claudian. Gild. 222. 423; Prob. 179; Eutr. II 244; Fescenn. I 24; Hon. III 211; Hon. IV 206; Stil. I 257; c. m. 31,$_7$; rapt. Proserp. III 446.

Incertum exitum praeterea duo nominativi praebent, quorum terminatio in trimetri quinta thesi ante vocalem insequentem posita est:

Avien. ora 613; Auson. lud. 24,$_{36}$.

Quater exitum —*es* in arsi atque ante vocalem insequentem invenimus:

Avien. descr. 739 *Hesperides habitant*; ora 701 [1]); Geta 10; Commodian. instr. II 27,$_1$ *Zaconés exércite* [2]).

Ceteris omnibus locis nescimus, utrum terminatio —*es* per se an consonante insequenti producta sit. Atque exstat bis in hexametri thesi ante consonantem insequentem:

Avien. descr. 322; Commodian. I 3,$_8$;

ter in trimetri arsi:

Avien. ora 550. 421. 459;

47 nominativi pluralis inveniuntur in hexametri arsi, quorum 39, si Graece flecterentur, in tribrachyn exirent:

Avien. Arat. 568. descr. 623. 273. 756. 329. 947. 946. 710. 8; Auson. Cup. cruc. 99. 82. 74; Mos. 397; XXXII 8; epist. 7.2,$_6$; epigr. Pseudauson. 13,$_1$; Nemesian. ecl. II 20; cyn. 94. 95; Porfyr. III 21. V 14. IX 1. XIX 23; Reposian. 90; Claudian. Ruf. I 24; Eutr. II 201. I 220. 226; Gild. 407; n. Hon. 283; Hon. III 71; Stil. I 356; Hon. VI 173; c. m. 17,$_{15}$. 31,$_{61}$. 30,$_{131}$; rapt. Proserp. II 216. 344. III 78;

praeterea 8 aliis locis nominativi pluralis exitus —*es* in arsi atque in positione invenitur:

---

1) Cf. Reuter l. c. pag. 11.

2) Cf. Hanssen l. c. pag. 64.

Vesp. 45; Terentian. 1930; Avien. descr. 946. 936; Pentad. $343_{,10}$; Claudian. Eutr. II 244; Hon. IV 601 (bis).

b) Iam accedamus ad accusativos Graece terminatos atque primum tertiae declinationis accusativum singularis, qui Graece per —*α* terminatur, contemplemur[1]).

In summa Graece terminatus 203 locis invenitur, quorum exstant in fine 12:

Terentian. 2850. 2954; Avien. Arat. 526. 584. 1170. 1187. 1232; descr. 827. 1320; ora 214; Auson. epist. $16{,}2_{,14}$; Claudian. Hon. VI 177.

Hoc quidem loco Graeca terminatio non postulatur, agitur autem de nominibus, quae Graece flecti solebant ut *adamanta Oriona*[2]).

Quattuor aliis locis, quibus exitus —*α* ante vocalem insequentem eliditur, item accusativi sunt, qui ubique Graece flectuntur.

Atque Vespa scripsit in v. 68: *Calydona et.* Terentianus Maurus scribens in v. 788: *cum choros rhamnum necesse est, Phyllida aut thymum loqui* suum ipsius versum 221 repetit: *si quando choros Phyllida rhamnos thyma dico.* Idem accusativus Graecus ab Ausonio ante vocalem insequentem positus est epigr. $74_{,1}$. Iuvencus ante vocalem insequentem accusativum *Salomona* Graece flexit (I 644).

His exceptis in hexametris et pentametris 178 accusativi in —*α* exeuntes, 8 in aliis metris inveniuntur.

In hexametris 121ies creticus, 19ies ionicus a minore Graeca terminatione vitatur.

Atque dactylica forma Graeca pro Latina, quae in creticum exit, plerumque in quinto hexametri pede invenitur. In summa enim e 121 nominibus 87 hoc loco exstant:

aedona cantus Nemesian. ecl. II 32; *aera pinnas* ibid. 33; *aethera complent* ibid. 61; Porfyr. $19_{,5}$; Pontic. 19; Avien. Arat. 4. 52. 252. 462. 511. 548. 575. 636. 641. 728. 954. 1075. 1300. 1464. 1522. 1748; descr. 31. 753. 843; Auson. ephem. III 41; VII 3. 9. 25; Mos. 329; XXXIII 6; XXII $2_{,2}$; epigr. $8_{,1}$. $19_{,7}$. $55_{,1}$. $107_{,1\cdot4}$; epist. $4_{,50}$. $14_{,9}$. $25_{,63}$; auct. perioch. Iliad. $13_{,1}$. $14_{,1}$; Claudian. Prob. 83. 202; Ruf. I 108. 130. II 418. 419; Gild. 476; Eutr. I 272. II 27. 30. 161. 245. 405. 451. 493. 530. 497; n. Hon. 310; Hon. III 5. 204; Hon. IV 606. 177; Theod. 105. 156; Stil. I 141. II 255. 170; Poll. 57. 178. 179. 320; Hon. VI 47. 273. 615; rapt. Proserp. II 235. III 1. 13. 209; c. m. $25_{,84}$. $30_{,170}$. $51_{,1\cdot13}$. $53_{,110}$; Iuvenc. I 679. II 244; Commodian. carm. apol. 12.

[1]) Cf. pag. 52 sqq.

[2]) Cf. etiam Daigl. l. c. pag. 7.

9 nomina dactylica quartum hexametri pedem obtinent:

Almona Hadrian. 124,$_7$; *ichneumona* Nemesian. cyn. 54; Apul. 376,$_{5\cdot5}$; Auson. ephem. III 85; techn. 9$_{\cdot14\cdot19}$. 11,$_7$; Claudian. Theod. 45; c. m. 53$_5$.

23 nomina dactylica hexametri exordium obtinent:

Pontic. 1; Avien.: *aera propellit* Arat. 372; *aera nomen habet* ibid. 509. 561. 623. 1286. 1421. 1507. 1579; Auson. prof. 4,$_1$; epitaph. 12,$_1$; epigr. 19,$_7$. 64,$_9$. 96$_{\cdot8}$; Claudian. Ruf. I 371; Hon. IV 164; Stil. III 211; rapt. Proserp. I 141. III 336; c. m. 31,$_1$; Iuvenc. pr. 14. I 388. IV 15;

duo nomina pentametri alteram partem incipiunt:

Aera purpureum Lactant. 74; *Hectora quae genui* Auson. epitaph. 26,$_2$.

19 ies in hexametro ionicus a minore vitatur atque haec quoque nomina plerumque paenultimum pedem obtinent. Invenimus enim hoc loco 13 eiusmodi nomina:

Acheronta Geta 283; Nemesian. cyn. 35; Avien. Arat. 785; descr. 426. 1160; Claudian. Ruf. I 119. II pr. 1; Gild. 192; n. Hon. pr. 20; Hon. IV 63; Eutr. I 335. II 475; Stil. I 256;

duo exstant in altero hexametri pede:

Avien. descr. 1207; Iuvenc. II 710;

3 in tertio hexametri pede:

Auson. epist. 25,$_{19}$; Claudian. Hon. III 201; Stil. I 54;

unum in pentametri ultimo pede:

Capanea ruit Auson. epigr. 87,$_2$.

Commodianus semel exitum —*a* in arsi posuit: *in aera dominum* carm. apol. 1046.

Praeterea exstant in hexametris: quater accusativus *Styga* atque bis in primo pede:

Avien. Arat. 208; Claudian. Ruf. II 523;

bis in versibus anacyclicis: Porfyr. 28,$_2$ sq.:

Permisit solitae nec Styga tristitiae.
Tristitiae Styga nec solitae permisit . . .;

2 nomina trochaica in quinto hexametri pede:

Pana Lycaeum Claudian. Hon. VI 199; *grypha iugalem* ibid. 30;

32 nomina, quae Latine terminata tres longas syllabas praeberent; atque horum quoque permagnus numerus paenultimum pedem obtinet. His enim 21 locis accusativum in quinto hexametri pede invenimus:

Hadrian. *Teuthranta* 123,$_3$; Terentian. *Pythona* 1586; Nemesian. ecl. III 65; cyn. 40; Avien. *Cephea* Arat. 440. 441. 899. 1123; Auson. XXXII 14; Claudian. Prob. 94; Eutr. I 355. II pr. 73; n. Hon. 156; Hon. III 195; Hon. IV 35; Hon. VI 380; c. m. 53,$_{95}$; rapt. Proserp. II 49; Iuvenc. I 149. II 570; Commodian. *Sidona* carm. apol. 897;

in tertio hexametri pede inveniuntur 9:

Hadrian.: *Teuthranta* 123,$_{2}$; Auson. Mos. 137; Claudian. n. Hon. 129; Hon. IV 36; Stil. III 336; rapt. Proserp. II 22. 344; c. m. 53,$_{125}$. 28,$_{38}$;

2 in altero hexametri pede:

Claudian.: *Titana* n. Hon. 114; c. m. 27,$_{90}$.

Multo minor est numerus eorum nominum, quae in aliis metris inveniuntur; 3 enim exstant in versibus iambicis:

Avien. ora 269; Terentian. 2405; Auson. lud. 97;

unum in adoneo:

Nestora Auson. prof. 22. 24;

3 in versibus sotadeis:

Terentian. 273. 221. 1537;

unum in versu anapaestico:

Geta 139.

Haec quoque suo quodque loco metro postulantur. In summa igitur 186 locis accusativus Graecus metro postulatur.

Latinam terminationem 37 locis invenimus, 14ies in fine versus:

Hadrian. 124,$_{7}$; Porfyr. 19,$_{13}$; Auson. epigr. 30.$_{6,7}$; epist. 4.$_{2}$; VI 16; XXII 4. 6; Claudian. Hon. IV 507; Fesc. I 6. 8. 16[1]); Iuvenc. IV 653; Commodian. instr. II 28,$_{1}$;

bis in synaloepha:

Auson. cent. II 48; Claudian. Hon. VI 569.

13ies exitus in arsi exstat, ubi metro postulatur, sunt enim plerumque nomina, quae Graece terminata in tribrachyn exirent. Accusativum *Solonem* Ausonius 6ies in trimetro ita ut terminatio in thesi sit posuit.

i) Nonulla denique verba fiant de accusativo tertiae declinationis pluralis per —ας terminato. Ad hanc servandam correptam terminationem Graecam metrum non ita multum valuit. Saepius hi accusativi exstant in fine versus, saepissime in arsi et positione, quin etiam duobus locis quamquam Graecum exitum ante vocalem insequentem invenimus, tamen haec syllaba producta est, quia in arsi exstat:

Arabas et . . . Avien. descr. 970. *Troas atque* . . . perioch. Iliad. 13[2]).

Graecum exitum —ας servant 65, mutant in —*es* 13 nomina, e quibus exstant in fine 17 per —ας terminata:

Flor. 417,$_{3}$; Sulpic. 40; Avien. descr. 462. 1304; Auson. ecl. 9,$_{6}$; parent. 3,$_{4}$. 11,$_{8}$. 26,$_{11}$; Mos. 172; app. Auson. epigr. 15,$_{4}$; Claudian. Fesc. I 32; Eutr. II praef. 68; II 239; Hon. VI 45; c. m. 9,$_{46}$. 17,$_{37}$; Commodian. instr. II 36,$_{6}$;

---

[1]) Cf. Welzel l. c. pag. 20.

[2]) Peiper hoc loco coniecit: *Troas[que] atque* . . . ., cf. etiam Brandes, Beiträge 1902, pag. 24.

3 per —*es* terminata:

Claudian. Gild. 406; Hon. IV 534; c. m. 30,108.

17 locis Graeca terminatio metro postulatur atque 10ies ita poetae creticum in hexametro vitant. Invenimus enim in quinto hexametri pede: 4 nomina dactylica in —ας exeuntia:

Aonas Avien. Arat. 66; *Oreadas* Nemesian. cyn. 96; *heroidas* Auson. Cup. cruc. 14; *Stymphalidas* Claudian. rapt. Proserp. II praef. 37;

3 eiusmodi nomina primum pedem explent:

Plejadas Avien. Arat. 1806; *Naidas* Auson. Mos. 171; *Laidas* id. epigr. 17,1;

unum alteram pentametri partem incipit:

Naidas Auson. epigr. 98,4;

duo exstant in quarto hexametri pede:

Symplegadas Claudian. Ruf. I 173; *Chaonas* id. Poll. 135.

Semel Avienus Graeco exitu ionicum a maiore vitat: *Nasamonas* descr. 303.

Praeterea haec quoque nomina Graece terminata metro postulantur in hexametri quinto pede:

crateras Claudian. Poll. 611; *Sirenas* rapt. Proserp. III 190; *physeteras* Avien. Arat. 309;

in hexametri primo pede:

Phrygas Claudian. Eutr. I 205;

in versibus lyricis:

Terentian. 1497; Auson. prof. 22,16.

Semel (Avien. ora 205) exitus —ας exstat in trimetri iambici quinta thesi ante vocalem insequentem.

Commodiani versus bis correptum exitum postulant; in instr. I 12,3 posuit accusativum Graecum:

Bélligeráns contrá | *Titánas profúso cruóre;*

semel quantitatem latinae terminationis non respexit:

ad mártyres i[bis][1]) instr. II 17,19.

Praeterea Commodianus in instr. libris bis Graeca terminatione usus est:

Dícitur ét fulmén | *Cyclópas ílli fecisse* instr. I 6,23
Títanás vobís | *tutános dícitis ésse* I 20,1;

bis Latina:

. . *daemonés in mundo vag[ari]* I 22,10 [2])
Sí martyrés fecerís | *filiós sic vóce deflébis* II 32,6.

---

[1]) Cf. Scheifler l. c. pag. 7.
[2]) Cf. Scheifler l. c. pag. 12.

Ceteris 35 locis metro longa syllaba postulatur. Quam poetae aut Latina terminatione —ēs effecerunt:

ante vocalem insequentem: Claudian. Stil. II 88; c. m. 46_{8};

ante consonantem insequentem: Reposian. 52; Avien. Arat. 434; Claudian. Eutr. II 244; Poll. 185; rapt. Proserp. III 205,

aut ita ut Graecum exitum in arsi et positione locarent:

Terentian. 847; Flor. $275_{,3}$; Avien. descr. 1028. 1099; ora 251; Auson. cent. nupt. II 23; Mos. 176; epist. $25_{,55}$. $18_{,24}$ (bis); Claudian. Ruf. I praef. 17. I 338. II 448; Eutr. II 468; Hon. VI 31. 200; Stil. III 335; Fesc. I 22; Poll. 629. 237; c. m. $25_{,17}$. $28_{,19}$. $53_{,28}$; app. Claudian. $2_{,61}$.

4. Conspectus.

Quibus allatis iam nemo negabit metrum ad servandas vel mutandas terminationes permultum valuisse. Quod optime conspectu demonstrari potest, quo quot Graecae, quot Latinae formae metro postulentur illustratur. Inveniuntur autem

apud Hadrianum

nom. sg. —η 5 (3)[1]; —ων 5 (ter —ōn, bis —ŏn), —o 4 (3); acc. sg. —*on* 4 (3); —*in* 1 (—); —α 3 (3), —*em* 1 (—) locis;

apud Florum

nom. sg. —*o* 1 (—); acc. pl. —*as* 2 (—) locis;

apud Septimium Serenum

nom. sg. —η 2 (2); acc. sg. —*em* 1 (1) locis;

apud Modestinum

nom sg. —*ă* (graec. —ᾱ) 2 (2); —η 3 (3) locis;

apud Sulpicium

nom. sg. —*a* (graec. —ᾱ) 1 (1); —*as* 6 (6); —*es* 1 (1); —ων 1 (1); nom. pl. —*es* 1 (—); gen. sg. —*es* 1 (—); acc. sg. —*um* 2 (—), —*on* 1 (1); —*an* (nom. —*as*) 2 (—); acc. pl. —*as* 1 (—) locis;

apud Getam

nom. sg. —*ă* (graec. —η) 1 (1); —*es* 1 (—); —*as* 1 (1); —*eus* 2 (2); acc. sg. —*um* 1 (—); —*am* 2 (—); —*en* (nom. —η) 1 (1); —α 2 (2) locis;

apud Terentianum

nom. sg. —*um* 14 (—), —*on* 9 (5); —*a* 1 (—); —η 7 (6), —*ă* 12 (12); —*es* 3 (—); —ων 3 (1), —*o* 1 (1); nom. pl. —*es* 2 (—); gen. sg. —*ae* (nom. —η) 1 (—); acc. sg. —*um* 148 (—), —*on* 81 (57); —*an* 5 (—), —*am* 1 (—); —*en* (nom. —*e*) 4 (1), —*am* 5 (—); —*en* (nom. —*es*) 5 (1); —*am* 1 (—); —*an* (nom. —*as*) 11 (—); —*in* 8 (1); —α 8 (5); acc. pl. —*as* 2 (1) locis;

apud Serenum Sammonicum

nom. sg. —*um* 1 (—), —*on* 2 (1); —*a* 2 (2); —*ă* (graec. —η) 3 (3); —ων 2 (1); gen. sg. —*es* 1 (—), —*ae* 3 (—); acc. sg. —*um* 3 (—), —*on* 3 (1); —*en* (nom. —*es*) 2 (—); —*in* 1 (1), —*im* 1 (—); —*em* 1 (1) locis;

[1]) Numeri inclusi indicant, quot formae metro postulentur.

apud Nemesianum
nom. sg. —η 15 (13), *—a* 1 (1); *—as* 10 (6); —ων 6 (2). *—o* 5 (—); *—eus* 1 (1); nom. pl. *—es* 4 (—ες 1); gen. sg. *—es* 7 (1), *—ae* 1 (—); acc. sg. *—um* 1 (—), *—on* 1 (1); *—en* 8 (2); *—im* 1 (—); —α 7 (7), *—em* 1 (1); acc. pl. *—as* 1 (1) locis;

apud auctorem Ponticon
acc. sg. —α 2 (2) locis;

in Apulei fragmentis
nom. sg. *—as* 1 (1); acc. sg. —α 1 (1) locis;

apud Lactantium in carmine de ave Phoenice
nom. sg. *—a* 2 (2); gen. sg. *—es* 1 (—); acc. sg. *—on* 1 (1); *—am* 1 (—); α 1 (1) locis;

in Pervigilio Veneris
nom. sg. —η 2 (—); —ων 1 (—); gen. sg. *—ae* (nom. —η) 1 (—); acc. sg. *—en* 1 (—) locis;

apud Vespam
nom. sg. *—ă* 1 (1); —η 4 (4), *—a* 1 (1); *—es* 1 (1); *—as* 3 (3); —ων 3 (1). *—o* (*—ŏ* 1); *—eus* 4 (4); nom. pl. *—es* 1 (—); gen. sg. *—ae* 1 (—); acc. sg. *—um* 1 (—); *—em* (nom. *—es*) 1 (—); —α 1 (—) locis;

apud Reposianum
nom. sg. —η 8 (6); nom. pl. *—es* 1 (—); gen. sg. *—ae* 4 (—); acc. sg. *—en* 1 (—); acc. pl. *—es* 1 (—) locis;

apud Pentadium
nom. sg. —η 5 (4), *—a* 2 (2); —ων 1 (—); *—eŭs* 2 (2); nom. pl. *—es* 1(—); gen. sg. *ae* 1 (—); acc. sg. *—um* 1 (—) locis;

in Epistula Didonis
nom. sg. *—a* 1 (1); *—a* (graec. —η) 1 (1); *—as* 1 (1); gen. sg. *—ae* 1 (—) locis;

in Verbis Achillis
nom. sg. *—es* 1 (1); *—eus* 1 (1); acc. sg. *—um* 1 (—); *—am* 1 (—) locis;

apud Tiberianum
nom. sg. *a* (graec. —η) 1 (1); —ων 1 (1); gen. sg. *—es* 1 (—); acc. sg. *—um* 1 (—); *—am* 1 (—) locis;

apud Porfyrium
nom. sg. *—um* 2 (—); *—a* 3 (3); —η 6 (4); *—es* 2 (1), *—a* 1 (1); *—a* (graec. *—as*) 1 (1); —ων 6 (4); nom. pl. *—es* 4 (—); gen. sg. *—es* 2 (—); acc. sg. *—um* 2 (—); *—en* 1 (—), *—am* 1 (—); *—en* (nom. *—es* 1 (—); —α 3 (3), *—em* 1 (—) locis;

apud Avienum
nom. sg. *—um* 11 (—), *—on* 1 (1); *—ă* 28 (20); —η 43 (25), *—a* 22 (18); *—es* 12 (3), *—a* 12 (12); *—as* 3 (3); —ων 25 (21), *—o* 2 (—); *—eus* 13 (13); nom. pl. *—es* 37 (—ες 14, *—ēs* 2); gen. sg. *—es* 14 (1), *—ae* 31 (—); acc. sg. *—um* 71 (—), *—on* 8 (—); *—am* 36 (—); *—en* 12 (2), *—am* 19 (—); *—en* (nom. *—es*) 7 (—), *—am* 1 (—); *—an* (nom. *—as*) 15 (—); *—in* 2 (1), *—im* 2 (—); —α 45 (37). acc. pl. *—as* 11 (4), *—es* 1 (—) locis;

apud Ausonium

nom. sg. *on* 2 (2), —*um* 5 (—); —ᾱ 1 (1), —*a* 19 (17); —η 24 (15), —*a* 17 (17); —*es* 22 (17), —*a* 1 (1); —*as* 8 (4), —*a* 2 (2); —ων 37 (18), —*o* 10 (5); *eus* 4 (4); nom. pl. —*es* 15 (—ες 5); gen. sg. —*es* 11 (3), —*ae* 17 (—); acc. sg. —*on* 3 (3), —*um* 49 (—); —*an* 1 (1), —*am* 18 (—), —*en* 11 (1), —*am* 4 (—); —*en* (nom. —*es*) 9 (2), —*am* 3 (—), —*em* 3 (—); *am* (nom. —*as*) 2 (—); —*en* (nom. —*es* 3. decl.) 1 (—), —*em* 3 (—); —*in* 1 (1), —*im* 2 (—); —α 33 (31), —*em* 12 (1), —*um* 2 (—); acc. pl. —*as* 15 (5) locis;

in Pseudausonianis

nom. sg. —*on* 1 (—); —*a* 6 (4); —η 10 (8); —*es* 2 (2); —*as* 1 (—); —ων 7 (5), —*o* 3 (—*o* 2); —*eus* 2 (2); nom. pl. —*es* 3 (—ες 1); acc. sg. —*um* 6 (—); —*en* (nom. —*es*) 1 (—), —*am* vel —*em* 3 (—); —*am* (nom. —*a*) 3 (—); —*en* (nom. —η) 2 (—), —*am* 1 (—); —α 2 (2), —*in* 1 (1); acc. pl. *as* 2 (—) locis;

apud Claudianum

nom. sg. —*on* 3 (3), —*um* 7 (—); —*a* 54 (52); —η 80 (45), —*a* 27 (23); —*es* 45 (21), —*a* 5 (5); —*as* 10 (9), —*a* 3 (3); —ων 54 (29), —*o* 9 (—); —*eus* 36 (36); nom. pl. —*es* 51 (ες 24); gen. sg. —*es* 3 (—), —*ae* 28 (—); acc. sg. —*on* 16 (5), —*um* 139 (—); *an* 1 (1), —*am* 29 (—); —*en* 32 (7), —*am* 27 (—), —*en* (nom. —*es*) 18 (4), —*am* vel —*em* 12 (—); —*an* (nom. —*as*) 3; —*in* 10 (2), —*im* 14 (—); α 83 (82), —*em* 7 (2); acc. pl. —*as* 26 (6), —*es* 8 (2) locis;

in Pseudoclaudianeis

nom. sg. —*um* 1 (—); —*a* 1 (1); —η 2 (—), —*a* 2 (2); —*es* 2 (2); — ων 1 (—); *eus* 2 (2); acc. sg. —*um* 2 (—), —*on* 1 (—); —*en* (nom. —*es*) 1 (—); —*am* 2 (—); —*en* (nom. —η) 1 (—), —*am* 3 (—); —*in* 1 (—); acc. pl. —*as* 1 (—) locis;

apud Iuvencum

nom. sg. —*a* 3 (2), —*a* (graec. —η) 1 (1); —*es* 22 (22); —*as* 12 (12); ων 10 (4); gen. sg. —*ae* 1 (—); acc. *um* 53 (—); —*am* 17 (—); —*am* (nom. —η) 1 (—); —*en* 1 (—); —*en* (nom. —*es*) 1 (—), —*em* 6 (—); —*am* (nom. *as*) 7 (—); —α 9 (8), —*em* 4 (3) locis;

apud Commodianum

nom. sg. —η 1 (—), —*a* 2 (1), —*es* 7 (7); —*as* 18 (8); —ων 10 (8); nom. pl. —*es* 5 (ες 3, —*es* 1); acc. sg. —*um* 9 (—); —*am* 3; —*em* (nom. —η) 1 (—); —*em* (nom. —*es*) 1 (—); *am* (nom. —*as*) 5 (—); —*im* 1 (—); —α 3 (2), —*em* 7 (4); acc. pl. —*as* 4 (1), —*es* 3 (1) locis.

Optime autem quantum metrum ad servandas vel mutandas terminationes valuerit cognoscimus, si eas tantum formas respicimus, quae terminatione mutata etiam quantitatem exitus mutant, sive terminationes Graecae correptae servantur aut mutantur in Latinas productas sive terminationes Graecae productae servantur aut mutantur in terminationes Latinas correptas.

Producta terminatio Graeca (α, η, $\eta\varsigma$, $\alpha\varsigma$, $\omega\nu$, $\varepsilon\omega\varsigma$)			Correpta terminatio Graeca (nom. pl. $\varepsilon\varsigma$; acc. sg. α, pl. $\alpha\varsigma$)	
servatur	mutatur	apud	servatur	mutatur
10 (8) loc.	4 (3) loc.	Hadrianum	3 (3) loc.	1 — loc.
— — „	1 — „	Florum	2 — „	— — „
2 (2) „	— — „	Serenum	— — „	1 (1) „
3 (3) „	2 (2) „	Modestinum	— — „	— — „
8 (8) „	1 (1) „	Sulpicium	1 — „	1 — „
4 (3) „	1 (1) „	Getam	2 (2) „	— — „
13 (7) „	14 (13) „	Terentianum	10 (6) „	2 — „
2 (1) „	5 (5) „	Sammonicum	— — „	1 (1) „
32 (22) „	6 (1) „	Nemesianum	9 (9) „	4 (1) „
— — „	— — „	auct. Ponticon	2 (2) „	— — „
1 (1) „	— — „	Apuleium	1 (1) „	— — „
— — „	2 (2) „	Lactantium	1 (1) „	— — „
3 — „	— — „	auct. Perv. Ven.	— — „	— — „
15 (13) „	3 (3) „	Vespam	1 — „	1 — „
8 (6) „	— — „	Reposianum	— — „	2 — „
6 (4) „	4 (4) „	Pentadium	— — „	1 — „
1 (1) „	2 (2) „	auct. Epist. Did.	— — „	— — „
2 (2) „	— — „	auct. Verb. Achill.	— — „	— — „
1 (1) „	1 (1) „	Tiberianum	— — „	— — „
14 (9) „	5 (5) „	Porfyrium	3 (3) „	5 — „
96 (65) „	64 (50) „	Avienum	70 (55) „	24 (2) „
96 (59) „	49 (42) „	Ausonium	53 (41) „	24 (1) „
22 (17) „	9 (6) „	Ps. Ausonium	5 (3) „	2 — „
225 (140) „	98 (83) „	Claudianum	133 (112) „	42 (4) „
7 (4) „	3 (3) „	Ps. Claudianum	1 — „	— — „
44 (38) „	4 (3) „	Iuvencum	9 (8) „	4 (3) „
36 (23) „	2 (1) „	Commodianum	10 (6) „	12 (6) „
651 (437) „	280 (231) „	omnes	316 (252) „	127 (19) „

Metri igitur causa terminationem Graecam e denis nominibus, quae Graece exeunt

in productam terminationem | in correptam terminationem

servant	mutant	apud	servant	mutant
8 nom.	7,5 nom.	Hadrianum	10 nom.	0 nom.
— „	0 „	Florum	0 „	— „
10 „	— „	Serenum	— „	10 „
10 „	10 „	Modestinum	— „	— „
10 „	10 „	Sulpicium	0 „	0 „
7,5 „	10 „	Getam	10 „	— „
5,5 „	9 „	Terentianum	6 „	0 „
5 „	10 „	Sammonicum	— „	10 „
7 „	1,7 „	Nemesianum	10 „	2,5 „
— „	— „	auct. Ponticon	10 „	— „
10 „	— „	Apuleium	10 „	— „
— „	10 „	Lactantium	10 „	— „
0 „	— „	auct. Perv. Ven.	— „	— „
8,7 „	10 „	Vespam	0 „	0 „
7,5 „	— „	Reposianum	— „	0 „
6,6 „	10 „	Pentadium	— „	0 „
10 „	10 „	auct. Epist. Did.	— „	— „
10 „	— „	auct. Verb. Achill.	— „	— „
10 „	10 „	Tiberianum	— „	— „
6,4 „	10 „	Porfyrium	10 „	— „
6,6 „	7,6 „	Avienum	8 „	1 „
6 „	8,6 „	Ausonium	8 „	0,5 „
8 „	6,6 „	Ps. Ausonium	6 „	0 „
6,2 „	8,5 „	Claudianum	8,5 „	1 „
6 „	10 „	Ps. Claudianum	0 „	— „
9 „	7,5 „	Iuvencum	9 „	7,5 „
6,4 „	5 „	Commodianum	6 „	5 „
6,7 „	8 „	omnes	8 „	1,5 „

In summa servantur 967 formae, metri causa 689 formae,
mutantur 407 formae, metri causa 250 formae,
e centenis igitur metri causa servantur 71, mutantur 61 formae.

Productam terminationem servatam 651, mutatam 127 locis poetae adhibent, in summa igitur 778 locis. Harum metri causa posuerunt (437 servatas + 19 mutatas) 456 formas i. e. e centenis 58,6 formas.

Correptam terminationem servatam 316, mutatam 280 locis poetae adhibent, in summa igitur 596 locis. Harum metri causa posuerunt (252 servatas + 231 mutatas) 483 formas i. e. e centenis 81 formas.

Ac plerumque in hexametro poetae metri necessitate commoti terminationes servant. Si enim omnes eas formas, quae in fine aut in synaloepha exstant, praeterea nom. ες et acc. ας ante consonantem insequentem, ubi metrum ad servandas vel mutandas terminationes nihil valet, seiungimus, restant 481 formae terminationem correptam praebentes, quarum 448 exstant in hexametro, atque 84 in primo, 22 in altero, 21 in tertio, 39 in quarto, 264 in quinto pede, 18 in pentametri altera parte. Harum duae partes ponuntur, ut creticus vitetur, atque 60ies in primo, semel in altero, 34ies in quarto, 192ies in quinto hexametri pede, 8ies in pentametro.

Id quoque exquirendum esse videtur, quot locis poetae productam terminationem Graecam in fine versus servaverint, quot mutaverint. Invenimus exitum

—η	217 (61)[1]	locis,		—*a*	93 (6)[1]	locis,
—α	1 (0)	„		—*a*	216 (17)	„
—ης	121 (43)	„		—*a*	19 (0)	„
—ας	74 (12)	„		—*a*	6 (0)	„
—ων	173 (67)	„		—*o*	36 (14)	„
—ευς	65 (38)	„ .				

In summa servantur terminationes productae in fine 221 locis, mutantur 37 locis, e centenis igitur servatis terminationibus exstant in fine 33, e centenis mutatis 10; e centenis nominibus in fine versus positis 86 Graece, 14 Latine terminantur, atque omnia haec Latine terminata quae exstant in fine nomina non solum hoc loco, sed etiam ubique Latine terminantur. Accusativus quoque nominum in —η, —ης et genetivus nominum in —η exeuntium persaepe in fine versus exstant. E 74 enim accusativis in —ην exeuntibus, quorum nominativus habet —η finalem, in fine versus exstant 29, e 45 accusativis —ην (nom. —ης) 18, e 42 genetivis — ης 18 in fine exstant. Minime igitur poetae terminationes productas Graecas in fine versus spreverunt (cf. Zwiener l. c. pag. 188).

Permultum ad hanc rationem Homeri versus valuisse puto, qui persaepe nomina in terminationem productam exeuntia in fine versus habent, imprimis nomina deorum et heroum velut δῖος Ὀδυσσεύς, Παλλὰς Ἀθήνη, ὠκὺς Ἀχιλλεύς, ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων, κορυθαίολος Ἕκτωρ, Ποσειδάων ἐνοσίχθων alia.

[1]) Numeri inclusi significant numerum terminationum, quas poetae in fine posuerunt.

§ 13. De Graecis formis quarum originem poetae ipsi indicaverunt, iisque quas maiorum exempla imitati receperunt[1]).

His omnibus locis, quos pertractavimus, rationem quandam servandi vel mutandi cognovimus; praeterea autem invenimus locos, quibus poetae, tamquamsi scientiam vel versus pangendi artem proferre vellent, terminationes Graecas servaverunt. Atque primum eos locos perlustremus, quibus alicuius nominis Graecam originem poetae indicaverunt[2]).

1. Permulta huius rei exempla apud Terentianum Maurum inveniuntur:

485 *Sic et* Αἰνείαν *Achaeus, noster Aenean vocat.*
787 sq. *inserit siquando Graeca sermo noster nomina,*
cum choros rhamnum necesse est Phyllida aut thymum loqui
= 221 *siquando choros Phyllida rhamnum thyma dico.*
842 sqq. *nec sinas errare puerum, quando Daphnin scripserit,*
semivocalem locandam primam ut istam existimet:
quippe nos, siquando Graecum φ *necesse est exprimi*
p et h simul solemus, non Latinam hanc [scil. f] *ponere,*
cuius a Graeca recedit lenis atque hebes sonus:
phosphoron Phrygasque nam vel Pamphilum sic scribimus.

Alia exempla invenis in vv. 221 sqq., 417, 430 sqq., 440 sqq., 453 sqq., 478, 511 sq., 650 sqq., 766 sqq., 885 sqq., 900, 911 sqq., 942 sqq., 992 sqq., 1435, quarum vocum maximam partem non respexi, cum plane Graecae sint.

Imprimis, si de terminis technicis agitur, Terentianus Maurus Graeca nomina Graece terminata adhibet, certo quia ipse vel auctor eius e fonte Graeco hausit. Omnes fere terminos metricos Graecos adhibet atque hunc esse terminum Graecum addit:

in v. 1168: *arcticon idcirco stoechion Graecia dicit,*
in v. 1346: *arsin hanc Graeci vocarunt, alteram contra thesin,*
in v. 1359: *Primus ille est, iure primus,* ἡγεμών *qui dictus est.*
δίβραχυν *dixere Graeci, quod sit ambabus brevis,*
πυρρίχιος *idem vocatur: quippe est aptus pyrrhichae.*

Imprimis e versibus, qui hos excipiunt, Terentiano Graecum auctorem metricum ob oculos versatum esse elucet, semper enim Graecum metri nomen affert totaque

[1]) Sniehotta l. c. pag. 43 sq. Zwiener l. c. pag. 175 sqq.
[2]) Non respexi enuntiata Graeca, quae poetae hic illic inseruerunt.

expositio hoc loco Graecum quendam colorem praebet. Magna libelli pars proferri potest, sed sufficiunt exempla allata.

Apud alios quoque poetas invenimus nonnullos locos, quibus poetae ipsi originem vocis Graecam indicant. Unum huius rei exemplum praebet Lactantius in carm. de ave Phoenice versu 65 sq.

Derigit in Syriam celeres longaeva volatus
Phoenices nomen cui dedit ipsa vetus eqs.,

neque aliter Serenus Sammonicus in libro medicinali nonnulla nomina Graeca profert:

v. 362 sq.: . . *et quae nomine prassion herba est*
et quae volgari sermone insana vocatur
(Graecus hyoscyamon propria scit dicere lingua) . .
et 932 sqq. *mortiferis magis est, quod Graecis hemitritaeon vulgatum verbis* . . .

Eandem interdum viam ingressus est Avienus cf. Arat. v. 255 sqq.,

525 *Est etiam Graio quod semper nomine nostri*
Deltoton memorant . .

ora marit. v. 91, 344 sq. 154, descr. orb. terr. 1055 sqq.

2. Sunt praeterea loci, quibus poetae vetustiorum Graecorum vel Latinorum versibus nisi Graecas formas receperunt. Atque Terentianum Maurum vel auctorem eius e fonte Graeco hausisse modo suspicati sumus, cum de terminis metrorum ageremus. Quae suspicio confirmatur, si eum etiam Graeca exempla singulorum metrorum attulisse videmus: v. 1160 sqq., [1435,] 1495, [1512, 1545, 1563 sqq.,] 2056 sqq.; exempla, quibus creticum probat, ipse se e Caesi Bassi libro hausisse adnotat i. v. 2358—2364. In versu 1930 Terentianus vertit Iliadis μ 208.

Persaepe Ausonius, cum et versus et epigrammata Graeca verteret, Graecas terminationes servavit:

(epigr. 33 = AP IX 506; epigr. 50 = AP IX 155.)

Deinde conferas collectionis epigrammatum, quae sub nomine Ausoni circumferuntur, epigr. 20 cum AP XI 104, epigr. 22 cum AP XVI 137, epigr. 30 cum AP XI 255; carmen de septem sapientibus plane e Graeco versum est, item carmen quod Catonis de musis inscribitur (cf. AP. IX 366 et 504).

Auctorem perioch. Iliadis Homeri versus vertisse mirum esse non potest; atque bis terminationes Graecas servat:

XIII 1 *Iuppiter admovit Troas atque Hectora classi*
Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσεν.
XIV 1 *Concussit quamvis potantem Nestora clamor*
Νέστορα οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ πίνοντά περ ἔμπης.

Sed non solum Graecos, sed etiam Latinos poetas vetustiores Ausonius imitatus est[1]):

epit. X 3	= Verg. A. III 331	ephem. VII 9	= Nemes. cyn. 33 [2])
epist. $25_{,34}$ sqq.	= Mart. VII $24_{,3}$		= Verg. g. I 406/9.
epigr. $83_{,1}$	= Ovid. a. a. III 3	Mosell. 158	= Verg. g. IV 461 + ecl. VI 30.
protrept. 46	= Iuv. XI 180	Cup. cruc. 30	= Verg. ecl. VI 46
epist. $19_{,1}$ sqq.	= Iuv. XVI 279	griph. 18	= Verg. A. VI 511.

Avienum Graecos auctores ita imitatum esse, ut illorum scripta e lingua nativa in Latinam transtulisse videatur iam supra (pag. 7), commemoravimus. Eosdem versus formulares atque Cicero in Arateis (262/63) ex Arati phaen. v. 262 sq. sumpsit (cf. Zwiener pag. 177). Praeterea afferantur:

Avien. 686	= Arat. 310,	Avien. 1207	= Germ. 666,
	= Germ. 314 [3]),	Avien. 121 sqq., 144. 158. 260	= Germ. 39 sqq. 51 sqq. 90. 147.
Avien. 1170	= Arat. 636 [3]),		
Avien. 756	= Arat. 347 [3]),		
Avien. 636	= Cic. Arat 48,	Avien. 685	= Germ. 312,
	> Verg. georg. I 406/9,	Avien. 718	= Germ. 327,
	> Get. 139,	Avien. 1100	= Germ. 601,
Avien. 144	= Germ. 52,	Avien. 1193	= Germ. 657,
Avien. 793	= Germ. 366 [4]),	Avien. 902	= Germ. 433,
Avien. 381	= Germ. 544,		
	= Vesp. 78.		

Ne Vergili quidem verba Avienus plane respuit[5]):
Avien. Ar. 211 = Verg. Aen. VI 326.

Saepissime autem Graecas terminationes e Dionysi periegesi deprompsit, quas plerumque eadem ratione versibus inseruit:

---

[1]) Singula exempla debeo editt. Schenkeli et Peiperi.
[2]) Cf. Wagner, quaestt. neotericae pag. 62.
[3]) Cf. Sieg l. c. pag. 33.
[4]) Cf. Maybaum l. c. pag. 37 et Winterfeld, De R. F. A. l. c. pag. 11.
[5]) Cf. Sieg l. c. pag. 37.

Av. 16	=D. 31,	Av.650	=D.484,	Av.1011sqq.	=D. 847sqq.,
„ 318	= „ 213,	„ 657	= „ 490,	„ 1039sq.	= „ 874sq.,
„ 341 sqq.	= „ 222sqq.,	„ 658	= „ 491,	„ 1057	= „ 899,
„ 365	= „ 244,	„ 712	= „ 533,	„ 1067sqq.	= „ 910sqq.,
„ 368	= „ 250,	„ 720sqq.	= „ 541sqq.,	„ 1075sqq.	= „ 915sqq.,
„ 426	= „ 291,	„ 733	= „ 552,	„ 1091	= „ 919,
„ 439sq.	= „ 301,	„ 760	= „ 581,	„ 1148sqq.	= „ 970sqq.,
„ 496sq.	= „ 357,	„ 777	= „ 593,	„ 1160	= „ 980,
„ 565	= „ 406,	„ 799	= „ 609,	„ 1196	= „ 1005,
„ 575	= „ 417,	„ 826	= „ 625,	„ 1207	= „ 1014,
„ 579	= „ 421,	„ 827	= „ 625,	„ 1273sqq.	= „ 1073sqq.,
„ 586	= „ 425,	„ 950	= „ 774,	„ 1293sq.	= „ 1092sq.,
„ 635	= „ 471,	„ 957	= „ 775,	„ 1341sqq.	= „ 1137sqq.,
				„ 1358	= „ 1152.

Claudianus quoque interdum vetustiores poetas imitatus Graecas terminationes servavit. Atque imprimis Vergili Aeneidem imitatus[1]) est:

Ruf. I 130	= Verg. A. VI 395,	Eutr. II 247	= Verg. A. III 14,
„ I 155	= „ „ VI 605,	Hon. III 133	= „ g. III 6;
„ II pr. 1	= „ „ VI 641,		

bis Ovidium imitatus terminationes Graecas servat:

n. Hon. 129 = Ovid. met. I 133,
rapt. Proserp. I 181 = Ovid. fast. VI 321.

Libri primi in Eutropium versum 82 assimilavit ad Hor. carm. III $16_{,1}$; Lucani versus V 711 sq. imitatus est Gild. 476 sq.

3. Vel ob hanc quoque causam multis locis terminationes Graecas servant poetae, quod omnino graecissandi rationem in deliciis habent. Nam Vergili Ovidi aliorum exemplaria secutis versibus Graecas formas, quas poetae antea spreverant vel mutaverant, inserere urbanum videbatur. Imprimis ubi Graecorum fabulas narrant, colorem quoque quendam Graecum appetunt nominumque Graecorum terminationes Graecas servant. Qua de causa mirum esse non postest apud Ausonium Claudianumque multa heroum deorum dearum nomina Graece terminari, qui toto fere apparatu mythologico utuntur eodem modo atque Vergilius Ovidiusque, quos imitantur. Uterque praeterea non solum carmina Latina sed etiam Graeca composuit, neque desunt, ut iam supra dixi, apud Ausonium nomina Graece per

[1]) Exempla debeo edit. Birtii.

lusum carminibus inserta. quo in genere praeter epist. 12 etiam epist. 22 afferri potest et epist 14.$_{35}$, ubi post nonnullos versus plane Graece compositos dicit:

hoc tibi de nostris ἀσπαστικὸν offero libris.

Item epistulae 10 nomina Graeca inseruit; praeterea afferantur sententiae septem sapientium in ludo.

Avieni sermonem Graeco tamquam colore fucatum esse iam non miramur, postquam eum Graecos auctores verbotenus transtulisse cognovimus.

Neque aliter res se habet in Terentiani Mauri poemate de litteris syllabis metris, in quo persaepe, ut iam supra copiosius exposui, termini technici vel exempla Graece terminata sunt, certo quia sunt e Graecis fontibus hausta. Atque interdum id opus non tam ab ipso conditum quam e lingua Graeca versum videtur. Aliud quoque afferri posse puto, ex quo quantum totius loci color Graecus ad servandam terminationem valeat cognoscatur. Legimus enim:

2547 *Sapphicon esse . .*	2567 *spondeon cui do . .*
2552 *spondeon siquidem . .*	*trochaeon ari . .*
2554 *dactylon atque . .*	2568 *iambon esse . .*
2558 *spondeum sed . .*	2570 *hexametron tomas . .*

In 23 igitur versibus octies accusativus secundae declinationis invenitur, septies Graece, semel Latine terminatus. Atque quater terminatio —*on* vocali insequenti postulatur. Quid mirum quod poeta alios quoque accusativos, praecipue accusativum *spondeon*, qui exstat in v. 2567, ubi accusativus *trochaeon* ante vocalem insequentem postulatur, Graece terminavit?

Maxime graecissandi rationem poeta qui Catonis disticha scripsit, sprevit; cuius in distichis ne unum quidem nomen Graecum invenimus.

Iam ad finem propositi properemus paucisque verbis quae exposuimus complectamur. Sunt multa nomina, quae omnino non servant Graecum exitum; alia, prout usus vel grammaticae rationes vel causae metricae

postulant, aut servant aut mutant Graecum exitum: multis locis poetae vetustioribus auctoribus nisi terminationes Graecas servant.

Ac si breviter singulas declinationes percurrimus, aliam aliter adhibitam invenimus. Secundae declinationis nominativus persaepe exitum Latinum praebet, praecipue in adiectivis derivatis, quae ubique fere Latine terminantur. Nec vero desunt nomina, quae rationes certas secuta in *—os* exeunt. An mirandum est, quod nomina nonnulla geographica vel termini technici, qui ad grammaticas et metricas res pertinent, aut interdum aut ubique terminationem Graecam servant? Nonnulli praeterea nominativi neutrius generis, ne ultima syllaba elidatur, exitum *—on* servant. Accusativus quoque plerumque Latinam induit vestem. Quarta tantum pars Graece terminatur: sunt plerumque accusativi nominum geographicorum vel technicorum. Accedit quod alter quisque accusativus Graecus vocali insequenti postulatur. Ceteros casus perpaucis locis exceptis ubique Latine flexos invenimus.

Nomina in —ης vel —ας exeuntia nominativum plerumque Graece terminant. Nonnulla tantum nomina gentium in —ης exeuntia ac pauca virorum per —ης terminata Latinum exitum praebent. Accusativum nominum in —ης exeuntium poetae nonnullis locis ante vocalem insequentem per — ην finiunt, interdum etiam in *—em,* paucis locis in *—am,* bis in *—a,* tamquamsi nominativus exiret in —ευς.

Primae declinationis nomina in —α impurum exeuntia ubique Latine terminantur; eodem fere modo nomina in —α purum excurrentia versibus inseruntur; unum tantum nomen *logodaedalia* exitum —ᾱ servat (cf. pag. 89). Accusativum quoque perpaucis locis, plerumque quidem in terminis technicis aut in exemplis Graece terminatum invenimus. Ceteri casus Latine flectuntur. At nominum in —η exeuntium duae partes servant Graecum nominativi exitum; Latine nonnulla tantum notiora regionum vel feminarum nomina, praeterea adiectiva terminantur. Idem fere de accusativi formis dici potest, cuius terminatio Graeca praeterea interdum vocali insequenti

postulatur. Genetivi tertia tantum pars Graecorum more in —ης exit idque interdum ante vocalem insequentem.

Tertiae declinationis nomina per —*is*, —*as*, —*s*, —*ax*, —*yx*, —*an*, —*in*, —*or*, —*er* terminata et Graece et Latine eandem terminationem praebent. Nominativi nominum in —ευς exeuntium exitus Graecus ubique fere metro postulatur. Item nominativus nominum in —ων exeuntium hanc terminationem plerumque servat exceptis paucis nominibus notioribus. Multum ad hanc terminationem servandam usus valuit; multa metro quoque postulantur, quamquam tertia pars in fine versus exstat. Quantum usus ad servandas vel mutandas terminationes valuerit, optime ex hac re cognosci potest, quod omnia nomina, quae etiam in sermone pedestri Latine terminantur, his quoque locis, quibus metro longa syllaba postulatur, non Graecum exitum —ων, sed Latinum —*ō* praebent.

Nomina in —υς exeuntia hanc terminationem ubique fere servant. Idem dicendum est de nominibus in —ως et —ω et —ος exeuntibus.

Nominativus pluralis, prout metrum postulat, aut Graece aut Latine flectitur.

Etsi genetivus plerumque Latine per —*is* terminatur, nonnulla nomina in —*is*, —*as*, —υς exeuntia interdum exitum —ος servant; item nonnulla in —ευς exeuntia nomina Graecum exitum —εως servant, sed correptum in —*ĕŏs*, cetera per —*ei* vel —*i* terminantur.

Accusativus singularis sexto quoque loco terminationem —α mutat in —*em*, quod interdum metri causa fit, ceteris autem locis Graecus exitus plerumque metri causa servatur. Nomina in —*is* exeuntia Graecam terminationem aut servant aut mutant, prout usus aut vocalis insequens postulat. Idem dicendum est de nominibus in —*es* exeuntibus, quae accusativum et Graece per —ην et Latine per —*em* finiunt. Saepius in his accusativis scribendis non libri tantum, sed etiam poetae ipsi inter Graecam et Latinam terminationem fluctuant. Neutrorum accusativus nominativum sequitur.

Accusativi pluralis exitus —ας, quamquam persaepe servatur, tamen non multis locis metro postulatur, quin

etiam saepius in arsi exstat, ubi metro longa syllaba postulatur. Quare facere non possum quin Sniehottae Zwieneroque[1]) assentiar, qui nominativi exemplo effectum esse putant, ut accusativus saepissime Graecum exitum servet. Latina terminatio, nisi in fine exstat, ubique fere metro postulatur.

[1]) Sniehotta l. c. pag. 48 sq. Zwiener l. c. pag. 169.

Addenda et corrigenda.

pag. 9 l. 12 scribe plectrum
,, 18 ,, 31 ,, *Helias* 839
,, 25 ,, 12 ,, *Phoebe* II 39, dele III 59
,, 38 ,, 19 ,, *Leones* 423
,, 41 ,, 6 adde post vocativos: apud Nemesianum *Dryades* II 20
,, 46 ,, 30 ,, post *Thyestem*; secundae declinationis exitum — *am* in v. 91: *Philoctetam*.
,, 47 ,, 15 ,, In periochis Iliadis invenimus *Tydidem* V 1 *Actoridem* XVII 1
,, 55 ,, 24 et 25 dele Et Graece — epigr. 96,4. Scribendum est: Graece Ausonius flexit accusativum *Amazona* XXXIII 6, Latine accusativum *Ammonem* epigr. 96,4.
,, 61 ,, 2 scribe *Phrygas* 847
,, 62 ,, 9 ,, Ruf. I 338
,, 75 ,, 18 ,, pag. 59.

Vita

Natus sum *Petrus Neumann* a. d. VIII Id. Sept. MDCCCLXXXVI in vico prope oppidum *Streliciam* sito, cui nomen est *Sucholohna,* patre *Francisco,* matre *Dorothea* e gente *Mandrek.* Fidem profiteor catholicam.

Primis litterarum elementis imbutus per novem annos gymnasium Streliciense frequentavi, cuius gubernator *Sprotte* et ardore poetico et elegantia atque subtilitate disciplinae me ad summum artium liberalium amorem inflammavit semperque hortando et suadendo me familiariter et benigne fovit. „Nunc laus illi debetur et a me gratia maior.“

Testimonium maturitatis adeptus vere anni millesimi nongentesimi sexti hanc petii universitatem studiis operam daturus philologicis. Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner Cichorius Foerster Gercke Hoffmann Hoenigswald Kabitz Koch Kuehnemann Muther † Rohr Seger Siebs Skutsch Stern Wendland.

Per tria semestria proseminarii philologici exercitationibus interfui, deinde per tria semestria sodalis fui ordinarius seminarii philologici, praeterea me admiserunt ad exercitationes archaeologicas *Foerster,* philosophicas *Stern,* germanicas *Koch.*

Quibus omnibus viris quantas cuique debeo gratias ago, maximas vero *Foerstero,* qui et cum scriberem et cum publicarem hanc dissertationem assidue et benigne opera sua et consilio me adiuvit, et *Skutschio,* qui laboranti et defatigato saepius valide succurrit.

Magnam quoque gratiam debeo et semper habebo architecto *Fedoro Silber* pro egregia per totum tempus, quo litteris operam dedi, erga me benevolentia.